COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XVII. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXXI.
APVD IO. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Medical Transactions, published by the College of Physicians in London. Vol. I. London printed for S. Baker and I. Dodsley. 1768. 8vo mai. Alph. 1. pl. 7½. Tab. aen. 1. *)

h. e.

Transactiones medicae a Collegio Medicorum Londinensi editae. Vol. I.

Cum hoc ipso seculo experiundo in rebus medicis plus inuentum sit, quam ratiocinando, Collegium Medicorum Londinensium, inuentas quoque res, ipsi traditas, collegit et edidit, miramur tamen, illud nec fidem relationum, nec opiniones propositas sua auctoritate confirmare velle. Nos de praecipuis rebus nunc ad Lectores nostros referimus.

1. *Animaduersiones de aqua puteali Londinensi et de methodo purissimas aquas efficiendi.* Auctore Cl. GUILIELMO HEBERDEN. M. D. Regiae societatis et Collegii medici membro **). Aqua puteorum Londinensium puluerem lapidis calcarei et tria acida mineralia, vitrioli, nitri et salis communis, p. 1.

*) Tradita est versio Germanica: *Arzneykundige Abhandlungen etc. von D.* CARL CHRISTIAN KRAUSEN. *Erster Band. Leipzig.* 1768. 8.

**) lect. d. 22. iunii 1767.

praeterea oleoſi quid continet, quod ex colore flaveſcente cognoſcitur. Acidum vitriolicum calcaream partem in ſeleniten mutat, reliqua acida partes calcareas aquae intimius iungunt. Copia contentorum in menſura vna a decem ad viginti grana aſcendit. Etſi vero Londinenſes ingredientium particularum indolem variis ſignis cognoſcunt, tamen ratione guſtus puram iudicant, conſuetudine ducti, vt quidam incolae Americae ſeptentrionalis aquas fontanas, marinis inquinatas, lubenter bibant. Medici aquarum impurarum noxam in morbis alendis, praecipue in imbecillis et infantibus, melius perſpiciunt. Monet tamen Noſter, ex calcarea aquarum terra calculos non generari, quorum terra animalis eſt. Coctura aquae fontanae non corriguntur, cum ea ſalis aquae intimius vniat, ſuadet itaque ſalis tartari aliquas particulas iniicere, quo terra calcarea praecipitetur, et acida ſalia in media mutentur minus noxia. Cum etiam aqua fontana putridis animalium partibus inquinetur, Cl. Auctor Londinenſibus aquam fluuiatilem Thameſis commendat, et cum ſaepe particulis limoſis aliisque impuris inquinata ſit, varios correctionis modos ſubiungit. De deſtillatione tandem aquarum agit ac varia, quae eam difficilem reddunt, commemorat et gratiam guſtus iis denegat, interim tamen deſtillatas aquas puriſſimas iudicat.

p. 9.

p. 13.

p. 23. 2. *De elephantiaſi*, Auctore Cl. THOMAS HEBERDEN, Medico in inſula Madera, communicauit GUILIELMUS HEBERDEN *). Elephantiaſis, quae vera eſt leprae ſpecies, tubercula rubra in variis corporis partibus exhibet, prurientia et calentia cum febre, quae tamen ceſſat, quo facto tubercula liuida, ſcirrhoſa, interdum tamen cutis colori

*) lect. d. 22. iunii 1767.

colori ſimilia redduntur. Facies potiſſimum ad ſupercilia tumet et pili ibi defluunt, ſimili ratione alae naſi, labia et auriculae tument et vlcera in cavis vicinis oriuntur. In extremitatibus vngues ſcabri fiunt et vlcera gangraenoſa fouent, quae digitorum articulos ſubinde deſtruunt. In quibusdam tantum aegris crura vltrà modum intumeſcunt, et tunc inter tubercula cutis finditur, in aliis enim extenuata ſunt cum vel ſine vlceribus. Cutis faciei ſplendida eſt et in vniuerſum ſine ſenſu, motus etiam digitorum manus et pedis ceſſant. Anima foetida eſt et pulſus debilis. Notat tamen Noſter, morbum interdum alio ſymptomatum ordine procedere. Quamquam etiam vere contagioſus et haereditarius dici nequeat, commemorat tamen exempla latentis morbi et in generatione continuata iterum ſe euoluentis. In litteris additis Cl. TH. HEBERDEN, curatio morbi iam confirmati, praecipue ope corticis Peruuiani, deſcribitur, qua occaſione monet, mereurialia morbum non exaſperare, etſi eum non ſanent. Cl. GUIL. HEBERDEN hac occaſione de ſerpentibus et cura viperarum pauca adiicit. p. 34. p. 39.

3. *Obſeruationes de aſcaridibus* communicatae a Cl. GUIL. HEBERDEN *). Aſcarides inteſtinum rectum et ani orificium potiſſimum irritant, a qua re nonnunquam ſomni defectus et aeſtus cum tumore inteſtini inducitur, dolor interdum quoque ad imam partem abdominis percipitur, mucusque ſanguinolentus cum aſcaridibus viuis excernitur. Clyſmata ex decocto tabaci, aqua calcis et ſolutione vitrioli ſine fructu fuerunt, teneſmus, qui ſaepe vrget, lacte calido et oleo iniecto temperatur. Purgantium porro leniorum et fortiorum varius vſus diiudi- p. 45.

*) lect. die eodem.

iudicatur et exemplis oſtenditur, ſanitatem cum aſcaridibus diu illibatam eſſe poſſe, quod in aliis vermibus non ita obſeruatur. Sal commune ſpecificam virtutem in vermibus habere aſſerit et ideo ſequentem obſeruationem ſubiungit.

p. 54. 4. *Notatu dignus et bonus effectus largioris doſis ſalis communis in cauſſa verminoſa* *). Vir a variis incommodis infimi ventris contracti et ſicci per quatuor annos ita confectus eſt, vt cum inſigni macie prorſus langueret. Vſus quidem eſt variis medicamentis, ſed ſine fructu, donec ſuaſu amici ſalis communis libras duas, in duabus menſuris aquae fontanae ſolutas, horae ſpatio deglutiret. Senſit inde inſignem oppreſſionem pectoris, reiectis tamen per vomitum cum muco vermibus, melius ſe habuit et, aluo ſicca, difficulter alias ſoluenda, mobili reddita, magna copia muci et vermium reiiciebatur. Sitis ingens et dyſuria eum quidem male affecerunt, ſed potu aquae et lactis ebutyrati haec ſymptomata mitigata ſunt, vt vſum remedii diutius continuare potuerit. Morbo ſublato, prophylacticum remedium, libram dimidiam ſalis communis ſoluti tribus vel quatuor diebus ante nouilunium et plenilunium hauſit.

p. 60. 5. *De coecitate nocturna ſiue nyctalopia*, Auctore Cl. GUILIEL. HEBERDEN **). Vir triginta annorum, febre intermittente per parcum nimis corticis Peruuiani vſum mitigato, recidiuam ſenſit, ſed frigido tandem balneo febrim ſuppreſſit. Ab eo autem tempore noctu oculi obfuſcati et tandem coeci redditi ſunt, viſu tamen ſummo mane iterum reſtituto. Morbus ſingulis noctibus redibat, quamdiu in mari commoraretur, in terra tamen viuens ſenſim

*) lect. die eodem. **) lect. d. 6. iulii 1767.

ſenſim correctus eſt. Incidit hic paulo poſt in tabem et obiit. Notandum vero eſt, hunc virum antea labores, in quibus plumbum tractatur, ſuſcepiſſe.

6. *Obſeruationes de cancro*, Auctore Cl. MARCO AKENSIDE, Collegii medici et ſocietatis regiae ſocio, Medico regio *). Varias, quae cancri naturam et curationem ſpectant, collegit annotationes. Viri mentionem facit, qui verrucis in facie aliisque corporis partibus affectus eſt, quae etiam ſaepe reſectae iterum redierunt et narrat, aegrum tandem aliquam inſignem ad articulum cubiti reſecare noluiſſe, ideoque ad Noſtrum acceſſiſſe, qui eam, cum in cute mobilis haereret, per chirurgum reſecare iuſſit. Etſi vero, quae porro huic viro acciderint, neſciat, in his tamen verrucis primam cancri originem inuenire putat, cum materia in ſubcutaneas glandulas coniiciatur et regeneratio ex humoribus peruerſis, ad cutim ductis, fiat. Arbitratur enim, in his veram ſcirrhoſam duritiem eſſe, quamquam cutis, a compreſſione et calore circumiacentium partium libera, non ſemper vlcera carcinomatica formet. In cancroſa vero per corpus diſperſa materia, tandem variis in locis ſedem figente, narcoticas plantas, vt antea ſolanum, ſic nunc cicutam, vt ſpecificum medicamentum, adhibuerunt. p. 64.

Agit vero primum de viribus mercurii ſublimati corroſiui, qui in venereis morbis magis, quam aliae medicinae mercuriales laudatus eſt et obſeruationes ſubiungit, ex quibus patet, eum in ſcirrhis quoque diſcutiendis non inutilem fuiſſe. Femina quinquaginta circiter annorum, tumorem ſcirrhoſum a ceruice ad aurem dextram et articulum maxillae inferioris extenſum, habebat, doloroſum et maxillae p. 70.

*) lect. d. eodem.

xillae motum impedientem, exhibuit ei quartam tantum partem grani mercurii ſublimati bis de die in vini ſpiritu et ſcirrhum intra quinque hebdomadas ita diſcuſſit, vt ſine incommodo viueret. Medicamento tamen ſepoſito, ſcirrhi moles denuo cum febre increuit, qua ſopita et mercurio per menſem iterum adhibito, ita conualuit, vt ex noſodochio ſecederet, nec vnquam reuerteretur. Simili medendi ratione tumorem ſub lingua exulceratum in alia femina ſe curaſſe affirmat.

p. 75. Cicuta poſtea in multis curationibus a Cl. STOERCKIO et aliis adhibita, et Noſter tentamina inſtituit. Etſi vero a minori doſi ad maiores procederet, in imbecillibus tamen, temulentiam cum ſudore frigido et interdum deiectiones aluinas inde fieri cognouit, quae tamen incommoda vſu aromaticorum breui euanuerunt; in ſcirrhis ipſis et aliis tumoribus diſcutiendis certum auxilium non obſeruavit, et arbitratur, narcotica haec medicamenta, vt opium, agere, cuius auctas doſes tandem aegri ferunt.

p. 80. Lancinantes vero dolores in carcinomatibus cicuta cohiberi, exemplo carcinomatis vteri probat. Propinauit aegrae bis de die ſcrupulum dimidium extracti cicutae, eo effectu, vt dolores et effluxus materiae ichoroſae ceſſarent, redeuntes quidem poſt ſepoſitum medicamentum. Etſi vero poſtmodum quindecim grana extracti bis de die adhibebat, doloresque iterum ceſſabant, ſub continuato tamen medicamenti vſu recrudeſcebant et aegra paulo poſt miſere periit. Addit tandem Noſter varias obſeruationes, in quibus corticem Peruuianum cum mercurio et cicuta combinauit, nec tantum lancinantes dolores ſopiit, ſed etiam aegros vere ſanauit. Monet vero, omnes aegros in recenti malo, minime vero in inueterato auxilium expertos eſſe.

p. 84.

7. De

7. *De vſu ipecacuanhae in aſthmate.* Auctore EODEM *). Aſthmatis differentiis breuiter expoſitis, et illo, quod ex hydrope pectoris pendet, ſimul examinato, praecipue illud, quod ſpaſmodicum dicunt, perſequitur, quod nimirum in ſtrictura bronchiorum et cellularum pulmonalium conſiſtit. In hoc opio cum fructu vſus eſt, propinauit vero tincturae thebaicae guttas centum et vltra breui temporis ſpatio; ex qua re aegri per duos tresue dies ſtupidi facti ſunt et vnus in anaſarcam incidit. Laudat itaque Noſter lenia vomitoria et inprimis ipecacuanhae puluerem, quem a tribus ad quinque et deinde ad decem vſque grana propinauit. Quamquam vero interdum vomitum experti ſunt aegri, mitiores tamen doſes per aliquot hebdomadas continuatas, vſu ſuo ſalutares inuentas eſſe, exemplis confirmat. p. 93. p. 96.

8. *Methodus medendi tumoribus albis articulorum.* Auctore EODEM **). Hos tumores, ex ſcrophuloſa diſpoſitione aegrorum oriundos, inſignia ſaepe mala inferre, res notiſſima eſt. Methodum itaque medendi vtilem, niſi hydrops articuli accedat, proponit ſequentem. Veſicatoria circa articulum applicauit, paruas doſes calomel ad vnum alterumque granum veſperi et praeterea decoctum amarum, inprimis corticis Peruuiani, exhibuit et egregios effectus in continuata curatione expertus eſt. Femina, durante curatione, miliaribus ſuperuenientibus et recte exſiccatis, ſanata eſt. p. 104.

9. *Epiſtola* Cl. T. LANE *ad* Cl. GUILIELMUM HEBERDEN ***). Tentamina cum lixiuio ſalis alcali et calcis viuae proponit. Varia nimirum proportione miſcuit cineres clauellatos, calcem viuam, nec non p. 112.

*) lecta die eodem. **) lect. d. eodem.
***) l. d. eodem.

non teſtas ouorum calcinatas, ſodam et alia et in lixiuiis ita paratis calculum ſoluere tentauit. Cum nos cuncta repetere nequeamus, quaedam conſectaria ſubiungamus. Salia alcalina fixa vim calculum diſſoluendi non habent, niſi, calce addita, aliqua aëris fixi parte priuata ſint: ſi vero, maiori calcis copia addita, omnis aër fixus eiicitur, vis diſſoluens non augetur. In his experimentis cineres clauellati et ſal tartari ſimilem monſtrant vim, illi tamen ſaepe impuri ſunt. Alcali minerale longe inferius vegetabili, hinc in praeparationibus medicamentorum ſapo Londinenſium amygdalinus melius admiſcetur, quam Hiſpanicus.

p. 125. 10. *De operatione mercurii in diuerſis morbis et conſtitutionibus.* Auctore Cl. EDUARD BERRY, M. D. et regiae Societatis membro *). In vniuerſum diſſerit de vi mercurii ex grauitate et diuiſibilitate declaranda, quibus enim potiſſimum rarefactio ſanguinis fit. Poſtmodum ex HALLERI primis lineis phyſiologiae ramorum aortae progreſſum repetit, et longo ſermone demonſtrare annititur, mercurium, ſanguine receptum, per aortam magis ad carotidem externam, quam ad alios ramos dirigi et
p. 136. praecipue glandulas ſaliuales afficere. Ex iis, quae breuiter indicauimus, ſatis apparet, Noſtrum ſimili ratione in explicandis phaenomenis morborum verſari, ideoque in morbi venerei curatione, in retardata et celeri ſaliuatione, in vſu frictionis mercurialis, hypotheſibus vti, ex phaenomenis difficulter illuſtrandis, quae ideo iudicio Lectorum ſubmittimus.

p. 165. 11. *Deſcriptio et cura grauiſſimi cuiusdam morbi oeſophagi.* Auctore N. MUNCKLEY, M.D. Colleg. med.

*) lect. d. 13 iulii 1767.

med. et Societ. reg. membro *). Tubus oesophagi interdum ita contrahitur, vt aegre admittat cibos solidos, tandem, et his exclusis, fluidissimos; in augmento morbi supra strictvram expanditur oesophagus et vomitu reiicit cibos non diu retentos. Saepe ipsa callositas in contextu cellulari, crassas reddit tunicas, interdum glandulae vicinae obstruuntur. Angustatio vero vel ad pharyngem, vel profundius ad cardiam obseruatur. A medico exercitato cognouerat Noster, in hoc malo frictiones mercuriales ad partes colli, superaddito insuper cerato mercuriali, excitata etiam leni saliuatione, opem tulisse. Ille ergo, similibus aegris crebrius obuenientibus, primum parcas mercurii doses propinauit, saliuatione semper cohibita, hanc tamen, si malum vinci non potuit, lente fieri permisit ad sextam saepe hebdomadam. Haec in recenti morbo valent, si enim aeger deglutita paulo post vomitu reiicit, difficulter, nec vnquam curatur.

12. *Disquisitio caussarum colicae endemiae Deuonienfis* (*Damnonienfis*). Auctore Cl. GEORGE BAKER, M.D. Colleg. med. et Societ. reg. membro, medico aulico **). Etsi non interest scire, quid morbum faciat, sed quid eum tollat, tamen non nisi cognitionem caussae ad morborum cognitionem ducere, certum est. Ad hanc rem, in morbo hoc endemio diiudicando, praecipue respexit Noster. Vino pomaceo colicam Damnonienfem excitari, Cl. MUSGRAVE docuit; magis vero hanc rem illustrauit Cl. HUXHAM, qui ad vini illius differentias et aëris vicissitudines, inprimis in vento boreali, simul respexit, et ad corruptionem bilis porraceam, inde natam, attentus fuit. Noster tandem non solum noxiam succi p. 175. p. 188.

*) lecta die 11 augusti 1767.
**) lecta d. 29 iunii 1767.

ſucci pomorum indolem, ſed admixtas quoque venena-
tas plumbi particulas examinauit. Quamquam enim
acidi crudi in pomis, ad maturitatem veram ſaepe
non accedentibus, vel ex cultura minus accurata
aliisque cauſſis minus bonis et corruptis, non-
nam non negat et varia ſymptomata, inde in aegris ob-
orta, ex Auctoribus repetit, ſtudioſe tamen inquirit,
quomodo plumbum, ſubdole ab hoc acido ſolutum,
in mixtionem vini, inprimis pomacei, intret, et ſani-
tatem laedat. Hanc vero rem, teſtimoniis Auctо-
rum vbique commemoratis, egregie illuſtrat. Hac
occaſione etiam de coctura vinorum tenuium, qua
ad fermentationem meliorem duci dicuntur, diſſerit,
et in hac quoque diſquiſitione clandeſtini veneni, ex
plumbo accedentis, teſtimonia, aſſenſu variorum
medicorum confirmat.

p. 217. Cum autem Cl. Auctor non ſolum in examine
per liquorem probatorium vini ſubſiſtere voluerit,
ſed alia quoque ſubiecerit tentamina, his quaedam
in vniuerſum de vnione particularum plumbi cum
vino praemittit. Acidum vegetabile, cum dulcedine
vini coniunctum, per fermentationem intimius com-
binatur, ſi vero nimis copioſum et crudum fuerit,
vt ſubigi nequeat, praeparatis variis plumbi additis,
tranſitus ad fermentationem acetoſam impeditur.
Vina, dulcibus particulis magis ſaturata, huic corru-
ptioni minus obnoxia ſunt. Vegetabile acidum aut
natiuum in muſto, aut in fermentatione acetoſa,
aut in intermedio ſtatu vinorum, fermentatione
praeparatorum, plumbum vel ipſum, vel varie calci-
p. 221. natum ſuſcipit. Tentamina nunc varia, cum vino
pomaceo, ſaccharo ſaturni et aliis praeparatis plumbi
inſtituta, proponit, additis obſeruationibus, quarum
repetitionem noſtra non patitur recenſio.

p. 231. Commemorat quidem ea, quae Cl. SEERUP,
Auctor quidem de reliquo minus notus, in *trium-*

pho

pho lithargyriatorum, et hac occasione simul vires medicas plumbi, a variis medicis laudatas, recenset, et concedit, praeparata plumbi interne propinata, refrigerare, incrassare, repellere, resoluere et acrimoniam obtundere, inde in sudoribus colliquatiuis, aliisque fluxibus et haemorrhagiis bonos effectus edere, qui vero transitorii sunt, suo tamen modo noxii, cum varia quoque medicorum testimonia damna, inde oriunda, confirment.

Cum facile praeuiderit Cl. Auctor, opinionem p. 242.
suam de plumbo, pomacea vina corrumpente, obiectionibus ansam daturam esse, varias sibi ipsi proposuit dubitationes, quas simul diluere annititur. Sub finem tamen optat, vt caussa endemiae Damnonienſium colicae, morbi adeo tristis et exitiosi, si forte ab Eo non satis definita sit, aliorum tentaminibus porro definiatur.

13. *Examen variorum modorum, quibus venenum* p. 257.
plumbi in humanum corpus clanculum se insinuare potest. Auctore EODEM *). Ii, qui plumbum varia ratione tractant, colica saturnina afficiuntur, diro morbo, cuius impetu apta medendi ratione sopito, si ab his laboribus recedunt, vel illos maiori cum cautione instituunt, a morbo non amplius petuntur. Sed sunt, qui v. c. vino, lithargyrio adulterato, modice vtuntur, imbecilles potissimum, varia incommoda sentiunt, quorum caussam saepe nesciunt et medicamentis minus idoneis tractantur, hi tamen sensim languidi et macilenti fiunt et tandem conuulsiui vel apoplectici moriuntur. Hac ratione forte praeparantur et propinantur lenta venena, quae hominem solo languore subinde eneruant et conficiunt. Ostendit quoque Noster olea, butyrum et lac ab infectione plumbi non libera esse.

Transit

*) lect. d. 13 iulii 1771.

p. 265. Transit postea ad vasa terrea, vitro plumbi, et cuprea tenui lamina stanni, cum plumbo mixti, obducta, et proportionem plumbi admixti studiose examinat, ita, vt cibis et iusculis admixtas plumbi particulas tentaminibus definiat, et teneriorum et imbecillium corpora his tamen maxime laedi confir-
p. 280. met. Progreditur ad destillationes aquarum per plumbea, vel plumbo obducta vasa et monet, teste MATTHIOLO, his aquis, ob caussam plumbi, dulcedinem conciliari et sedimentum album in iis esse, aliaque plura exempla addit, vbi colicam siccam in Americae insulis et prouinciis frequentem, his destillationibus et cocturis in vasis plumbeis, vel plumbo obductis, oriri, asserit. Aquam etiam simplicem frigidam, per plumbeos canales ductam, his metalli
p. 301. particulis infici, variis testimoniis probatur. Additis nonnullis, quae superiores de vino, plumbo corrupto, obseruationes illustrant, ad effectus noxios medicamentorum internorum, ex plumbo paratorum, praecipue sacchari saturni, respicit et simul saturninorum, in emplastris et vaporibus externe applicatorum, damna commemorat.

p. 319. 14. *Tentamen historicae recensionis, speciei colicae spasmodicae, quae nomine colicae pictonum insignitur.* Auctore EODEM *). Praemissis variis ex veterum libris, de colicis singularibus et plumbo, monet, Cl. FRANCISCUM CITOIS 1617. primum colicae pictonum in libello singulari mentionem fecisse, addit vero plures fuisse, qui ante eum colicas endemias descripserint. Ex his PARACELSUM commemorat, qui de simili colica agit, arbitratur autem, hanc medicum, vsu variorum remediorum saturninorum, excitasse.

Sed

*) lect. d. 21 iulii 1767.

Sed cum, Cl. BAGLIVIO monente, nihil fa- p. 334.
cilius colicae ſuperueniat, quam paralyſis, Cl. GRAS-
HUIS colicam pictonum tantum ex atrociſſimo et
pertinaciſſimo dolore definiuit, ex quacunque de-
mum cauſſa illa oriatur. Alii itaque ad tenuem
acrimoniam in vniuerſum, alii ſpeciatim ad vini vitia
reſpexerunt, quamuis etiam haec vtplurimum a li-
thargyrio, vino admixto, orta ſint, quod in Germania
praecipue publicis et ſeueriſſimis legibus interdi-
ctum eſt, ad plumbum tamen non adeo, vt cauſſam
colicae, ſed ad cruditatem vini, ita correcti, vel po-
tius corrupti attenti fuerunt. Quam ob rem No- p. 350.
ſter iterum regreditur ad praeparationes vini, a vete-
ribus indicatas, et ab admixti plumbi ſuſpicione non
alienas, ex qua cauſſa etiam colicae endemiae, a ve-
teribus medicis deſcriptae, ortae ſunt.

15. *Examen variarum cauſſarum, ex quibus colica* p. 364.
pictonum orta, dicitur. Auctore EODEM *). Tra-
ditur breuis recenſio cauſſarum, ex quibus varii Au-
ctores geneſin huius colicae declarare voluerunt.
Commemorantur itaque febres criſibus imperfectis
indicatae vel male curatae, venena et ex cupro, an-
timonio, mercurio praeparata medicamenta et va-
pores, forte etiam omnes vapores metallici, arthri-
tis et rheumatiſmus, ſuppreſſa perſpiratio, ſcorbu-
tus, melancholia et tandem omnes ingratae animi
commotiones. Omnibus tamen his amplius decla-
ratis et Auctorum teſtimoniis explicatis, Noſter
ſemper ad vim plumbi reuertitur, quoniam in mor-
bis his ſaepe medicamentis, ex plumbo paratis, vſi
ſunt, vel ſi hoc non oſtendi poſſit, alios colicos do-
lores eſſe cum colica pictonum non confundendos,
in qua praecipue ad paralyſin aliasque neruorum af-
fectiones attendendum eſt.

16. *De*

*) lect. d. 7. auguſt. 1767.

p. 407. 16. *De polypo bronchiali.* Auctore R. WARREN, Colleg. med. et Societ. reg. ſocio, medico regio *). Polypos in variis corporis cauitatibus naſci res notiſſima eſt, rarior vero ille, qui in bronchiis concreſcit, nunc a Noſtro deſcribitur. Puella octo annorum, glandularum obſtructionibus obnoxia, reſpiratione difficili affecta, venaeſectione, veſicatoriis et laxantibus tenuioribus parum leuabatur, pulſus ſemper iuſto frequentior erat, et oxymel ſquilliticum poſtea propinatum tantum tranſitorium auxilium efficiebat. Duodecimo demum morbi die, aegra tuſſiendo reiiciebat polypoſam concretionem ſine ſanguine, pure et muco, qua quidem excretione facta, ea melius ſe habere videbatur, ſed reſpiratio difficilis et celerior pulſus denuo obſeruabantur, et noui ſemper polypi ad alterum vſque annum excernebantur. Interualla morbi, interdum obvenientia, a mutatione ſitus polypi, pulmones minus prementis, declaranda ſunt. In tabula duae figurae polyporum excretorum delineatae ſunt, quae aſperae arteriae ramis reſpondent. Materia alba, opaca, coagulato lacti ſimilis erat; aliquae vero concretiones denſiores erant, in aqua non ſoluendae, aliae laxiores, in ea facile ſecedentes, interdum muco adiecti erant globuli denſiores piſi figura.

p. 417. Polypos ſimiles vaſa eſſe ſanguifera, TH. BARTHOLINUS et TULPIUS affirmarunt, ſed RUYSCHIUS, qui ſimilem polypum in cadauere inuenerat, hanc ſententiam reiicit, geneſin tamen non declarat. Noſter nonnullis obſeruationibus, et ſimili ferme ex HIPPOCRATE propoſita, Cl. MORGAGNII ſententiam probat, qui exſudationem muci ex glandulis et gelatinae ex tenerrimis vaſis, vt cauſſam, affert; concreſcere enim et in lamellas cogi materiam, autumat, quae explicatio cum geneſi polyporum

*) lect. d. 11 auguſt. 1767.

porum in vniuerſum conuenit. Scrophuloſi qui nimirum glandularum vitiis laborant, praecipue in polypi geneſes procliues ſunt. Aegra vero lenioribus ſanguinis miſſionibus et pectorantium vſu adiuta, non vero curata eſt, ſaepe enim in prandio et coena inprimis a grumo panis in aſperam arteriam delapſo, has polypoſas excretiones paſſa eſt. Decoctum corticis Peruuiani diu ſumptum, balnea in aqua marina, Briſtolienſes aquae, et tandem aqua calcis leuamen afferebant, ſed minus conſtans, morbus enim non ceſſabat, niſi exulceratio ad os calcis oriretur.

17. *De variolis gallinaceis*, (chicken-pox). Au- p. 427.
ctore Cl. GUIL. HEBERDEN *). *Chicken pox* et *ſwine-pox* ſunt nomina vulgi, quibus variolas ſpurias indicant, hae, vt notiſſimum eſt, leuioribus ſymptomatibus ſtipatae ſunt. Noſter ideo tantum in eas inquirit, quo differentiam a veris potiſſimum ratione inoculationis inſtituendae et diiudicandae definiat. Cum autem Noſter generalia et vbique nota ſigna variolarum ſpuriarum ferosarum proponat et reliquas differentias non tangat, nihil repetimus, et hoc vnicum tantum monemus, Cl. Auctorem inſitionem harum variolarum ſine omni effectu tentaſſe, ideoque arbitrari, inoculatores ſaepe, has ſpurias ad inoculationem eligentes, falli.

18. *De epidemia catarrhali iunio et iulio menſe* p. 437.
1767. obſeruata. Auctore EODEM **). Deſcribit progreſſum variarum febrium catarrhalium, Londini graſſantium, quae tamen non tam graues erant, quam ſimiles anno 1762 cum calore inſigni atmoſphaerae obſeruatae.

19. *Flo-*

*) lect. d. eodem. **) lect. d. eodem.

p. 442. 19. *Flores cardamines, medicamentum antiſpaſmodicum, tentaminibus medicorum commendatum.* Auctore GEORGIO BAKER *). Virtutes florum cardamines a veteribus et recentioribus expoſitas breviter enarrat Noſter, et variis exemplis probat, antiſpaſmodicam vim his floribus denegari non poſſe. Virginem, aſthmate ſpaſmodico vehementer excruciatam, puellam et puerum, conuulſiuis motibus crebrius affectos, hoc remedio ſanatos vidit.

p. 449. Femina triginta quinque circiter annorum tempore menſtruorum perterrita, et inde conuulſa eſt cum difficili deglutitione, ex paralyſi pendente. Morbo hoc per quindecim annos durante, et variis medicamentis ſine fructu tentatis anno 1765. hemiplegia affecta eſt, quam conuulſio ſuperueniens quidem diſcuſſit, morbus vero omni ferme menſe reverſus eſt, cum deglutitione ſemper laeſa. Poſt duos annos demum Noſter ei propinauit puluerıs florum cardamines drachmam ſemis bis de die, et ad diem, quo haec obſeruatio lecta eſt, morbum non ſolum imminutum, ſed penitus ſuppreſſum vidit. Alia femina, grauioribus morbis neruoſis affecta, quorum cauſſa etiam poſt mortem, ſectione cadaueris, in medullaris ſubſtantiae vniuerſae duritie et ſiccitate inuenta eſt, durante morbo, a drachma vna huius medicamenti bis, poſtea drachma vna et dimidia ter de die propinata leuamen ſenſit.

p. 460. 20. *Appendix ad Cl.* BAKER *diſquiſitiones cauſſae colicae endemiae Damnonienſis.* Cl. Auctor ipſe varia teſtimonia affert de vini pomacei, per acceſſionem clandeſtinam plumbi, corruptione, vt cauſſa colicae. Sub finem etiam monet, mercurialia medicamenta, niſi, deſtillatione mercurii praemiſſa, elaborentur, colicam quoque inducere poſſe.

21. *Quae-*

*) lect. d. eodem.

21. *Quaeſtiones* a Cl. GUILIELMO HEBER-DEN *propoſitae* *). 1.) Eſtne cortex Peruuianus adſtringens medicamentum? Negatur. Lochia et catamenia feminarum non repreſſit, nec ſaliuationem in variolis confluentibus cohibuit. 2.) Medeturne camphora ſtranguriae? non dici poteſt, cum eam crebrius excitauerit. 3.) In morbis exanthematicis eruptio melius ſuccedit, ſi aegri aliquoties de die lectulum relinquunt. Poteſtne tepor lecti cauſſa eruptionis dici? 4.) Eſtne podagra remedium certum aliorum morborum, vt vulgo creditur? vel nonne grauius malum eſt, illis, quorum curam efficere dicitur? 5.) Paralyſes et apoplexiae rarius iuniores, ſemper ferme adultos et ad ſenium procedentes, afficiunt, praeter purgantia ideo non niſi cardiaca medicamenta poſtulant. Nonne ideo noxia videtur larga ſanguinis miſſio? Propoſita eſt differentia inter pituitoſas et ſanguineas apoplexias; in his tantum venaeſectio admittitur. Sed ſi ante morbi ingreſſum, nulla cauſſa ſanguinis miſſionis inventa eſt, in ipſo inſultu parca, minime autem larga, admittatur. Vidit Noſter apoplecticos, nimia venaeſectione laeſos. p. 469.

*) die 11. auguſti 1767.

II.

Hiſtoria conſtitutionis epidemicae verminoſae, quae annis 1760. 1761. 1762. et initio 1763. per inſulam Overflacqué et contiguam Goedereede graſſata fuit cum perpetuis fere commentariis in praecipuos verminantium morbos ac locupletiſſimo capitum et ſectionum elencho. Auctore I. I. VAN DEN BOSCH Medic. Hagan. L. B. apud Samuelem et Ioannem Luchtmans. 1769. 8. mai. 1 Alph. pl. 1. ſine dedicatione et elencho capitum.

Quamquam pathologia animata multis prorſus ſuperuacanea videtur medicis, tamen aegrorum obſeruationibus, hanc rem ſpectantibus, ductus, Cl. Auctor in hoc, cuius ſummam cum Lectoribus communicamus, libro, pathologiam verminoſam non plane eſſe repudiandam, multo potius attente ac diligenter vt cauſſam, non ſemper morborum proximam, ſed ferocium in aliis morbis ſymptomatum conſiderandam eſſe, ſtudioſe oſtendit. Atque cum Noſter non ab eorum ſit partibus, qui morborum nomina ament, ſed potius cauſſas eorum perſequantur, in hoc libro pertractando magna cum ſtudii aſſiduitate, quid in verminantibus morbis acciderit, quasnam mutationes illi induxerint, quaenam auxilia profuerint et num ſymptomata indubitata, vt ſigna certa ad veram diagnoſin eruendam et vbinam acquiri poſſint, exponendi dedit operam. Ita namque, obſeruationibus quam plurimis et optimis veterum aeque, ac recentiorum additis, hiſtoriam verminoſae conſtitutionis, per quatuor propemodum annos graſſatae, praemiſit, dein regionem, inco-

incolarum vitae genus, atmoſphaerae viſſicitudines et omnino vermium generationem in corpore humano perſecutus eſt. Poſtea morbos tam epidemicos, quum ſporadicos cum vermibus tradidit. Tum ſymptomata nonnulla, varios huius conſtitutionis morbos comitantia, expoſuit ac medicamenta. Tandem in rationem plurimorum phaenomenorum inquiſiuit, quibus quaedam, diagnoſin ſpectantia, nituntur.

Verminoſa haec conſtitutio epidemica merito a Noſtro appellatur, cum nullus morbus, per totam hanc epidemiam e. g. peripneumonia, pleuritis, variolae, petechiae, inflammationes hepatis aliique ſine lumbricis, raro aliis vermium ſpeciebus, et vna vice taenia, adfuerit. Qua itaque ſedulo deſcripta et aere, loco et aqua praemiſſis, omninoque pathologia animata illuſtrata, ad morbos verminoſos ipſos Noſter deuenit, eosque vel vt morbos primarios, vel ſecundarios ſeu comitatos conſiderat. P. 11.

Ac primum quidem Cl. Auctor de febribus continuis putridis cum vermibus agit. Quarum, vt et aliorum verminoſorum morborum, haec inprimis memoramus ſymptomata: vehemens ſupraorbitalis dolor capitis, radicem naſi et partes fronti vicinas occupans, interdum leuior erat hic dolor cum pupillae maiori dilatatione, quam Noſter et in aliis acutis febribus ſaepius obſeruauit, narium pruritu et aurium ſuſurru. Indicationes curatoriae tres ſunt: proxima de ſtatione auerruncare morbum, putredini ſiue in ſanguine, ſeu ipſis in inteſtinis reſiſtere, vrgentia compeſcere ſymptomata. Atque hoc fit lenioribus laxantibus, vt rhabarbaro optimo, cum ſale polychreſto et radice valerianae coniuncto, remedio anthelmintico et remediis antiſpaſmodi- P. 30.

ſimodicis et antiputridis. Inter ſymptomata vrgentia compeſcenda refert anxietatem praecordiorum, quam acidis mineralibus optime ſedauit, ideoque acida mineralia ac vegetabilia in his morbis maiorem in modum ſuadet. Nec minus repetit id, quod FORESTUS de vtilitate cornu cerui vſti contra vermes obſeruauit.

p. 45. His pertractatis, ſcholia ad febrium putridarum hiſtoriam cum vermibus a Cl. Auctore ſunt addita, quorum primum maxime ſpectat illarum diſtinctiones, ex veteribus aeque ac recentioribus hauſtas. Ac potiſſimum placet Noſtro diſtinctio in gaſtricas et ſanguineas, quibus petechiae vermesque accedunt. In his ſaepiſſime ſufficiunt ſudor et vrina critica, interdum haemorrhagia narium ſubſequitur, in illis alui fluxum aut vomitum accedere oportet. Id quod in ſcholio ſecundo, vbi animaduerſiones quaedam in acutarum cum vermibus regimen criticum, adduntur, amplius adhuc demonſtratur. Tum ad ſcholion tertium, quod diagnoſin vermium in acutis et nonnulla theoremata practica attinet, progreditur. Signis ſupra iam commemoratis, addimus linguam mucoſam, fuſcam cum anima foetida, dolores laterales vagos, non pleuriticos vel poſt criſin remanentes, pulſum inconſtantem et intermittentem debilem, ventriculi dolorem cum praecordiorum anxietate, ſyncopen et lipothymiam, vrinae ſuppreſſionem, leviores in pollice et indice conuulſiones, aluinas deiectiones mucidas, ramentoſas, aluoque aperta horum ſymptomatum decrementum, clauſa vero eorum plerumque incrementum, ſubitam ad caput metaſtaſin cum encephali moleſtiis, ſudores copioſos non criticos, vrinam limoſam, iumentoſam.

Remedia, ab Auctore tentata et probata, ſunt: aluum leniter cientia ſiue vomitoria; his clyſmata antiputrida ex oxymelle ſcillitico, ſpiritu vitrioli, aſſa foetida

foetida et amaris coniungebantur; lingua nigra apparente, corticem Peruuianum, cum rhabarbaro gummi arabico ſiue cornu cerui vſto compoſitum, acida mineralia ac vegetabilia aliaque antiphlogiſtica Cl. Auctor adhibuit, venaeſectionem vero noxiam iudicat.

Iam progreditur Noſter ad febres intermittentes verminoſo bilioſas et catarrhales, quae ab initio febribus cum lentis alebant quamdam ſimilitudinem, paulo poſt vero erant acutis adnumerandae. Apparebant hic nauſea, conatus vomendi cum nauſea gulae, ructus rancidi et largus ſaliuae affluxus, lingua impura, aphthae faucium, vteri haemorrhagia, angina inflammatoria, icterus, dolor iſchiadicus, lienteria, vomitus aeruginoſi, animi deliquia, deliria, articulorum et digitorum intumeſcentia cum peculiari exanthemate, mittimus alia ſymptomata. Horum morborum, cum his ſymptomatibus ſtipatorum, Cl. Auctor ſtudioſe collegit exempla, quibus methodum medendi, ſcholia, epicriſes, et theoremata practica addidit. Quae quidem omnia cum nobis non liceat, etiamſi optabamus, per inſtituti rationem pertractare, de nonnullis tantum videamus. p. 71.

Quaerit e. c. num haemorrhagia vteri a vermibus oriri queat? Id quod quamquam non omnino aſſerere auſus eſt Noſter, tamen ex analogia, cum plerumque haemorrhagia narium a vermibus excitetur, nec non ani tubercula et haemorrhoides tam coecae, quam apertae communes ſint verminoſis, eodem modo vermes vteri haemorrhagiam efficere, Noſtro veriſimile videtur, ac inprimis quidem, quoniam intima vteri cum inteſtinis eſt connexio. Obſeruauit enim Cl. Auctor menſtruorum phaenomena in puella octo annos nata, abdomine remediis anthelminticis illito, iterum ceſſantia. Porro vidit

feminas copioſis vteri, tum narium haemorrhagiis ita vexatas, vt menſtrua omni propemodum binarum triumue ſeptimanarum ſpatio nimium fluerent, quae, expulſis vermibus, ex lege naturae catamenia experiebantur. Tandem ad hanc rem comprobandam memorat abortus, ex vermibus oriundos, ſpasmosque, ab iis excitatos, quibus ſuam potiſſimum debent originem haemorrhagiae; illis quoque ipſis ſpaſticis contractionibus, a nimia vermium irritatione profectis, adſcribit icterum, cuius mentionem facit inter ſymptomata.

p. 106. Quod ad methodum medendi attinet, ſemen plantaginis rotundo folio inter medicamenta anthelmintica Noſter refert, aluumque apertam leniori-bus, ſi fieri poteſt, remediis, ne febris inde nimium intendatur, ſeruare, potentiora vero purgantia ad dies criticos eſſe differenda ſuadet. Amaricantia anthelmintica remedia ob tonicam eorum virtutem in fine bilioſarum harum febrium, quam in initio exhiberi mauult.

p. 127. Dein ad febres lentas verminoſas conſiderandas ſe accingit Cl. Auctor. Senſim hae febres progrediebantur et aegre ſeſe prodebant ſenſibiles exacerbationes; praeter leuem nocturnum ſudorem, frigoris et caloris viciſſitudinem, cum aurium, capitis omnino et abdominis moleſtis ſenſationibus, veſpertinis nocturnisque inflationibus, cum vermiculatione aut matutinis obſcurioribus ventris doloribus, quos aluus aperta ſequebatur. Aucta febre, augebant ſeſe quoque haec memorata ſymptomata. Verſus veſperam hae febres ingruebant, ſaepeque tum ſudore minus critico aegri debilitabantur, nec raro reuertebantur, continuam remittentem interdum mentientes, in acutam malignam tranſibant, ac tum profecto vix ab aliis putridis poterant diſcerni febri-

febribus. Quibuscum coniungebantur tympanitis, cutis intertrigo, phthiſis ſicca abdominalis, hypochondriaca et hyſterica paſſio, leucophlegmatia. Nec grauidae liberae erant ab his febribus et, niſi tempore grauiditatis, vermes expellebantur, febris acuta ſaepenumero puerperis eueniebat. Inter ſymptomata, quorum aliqua pars iam a nobis eſt memorata, hic ſeligemus doloroſam otalgiam, eryſipelate concomitatam, odontalgiam, quam, etiamſi verminantibus adeo frequens eſt, tam raro animadverſam eſſe a medicis, miratur Cl. Auctor, amauroſin, haemorrhagiam vteri, vomitum cruentum, haemoptoen, linguam vel tumidulam, inciſuris leuioribus et dentium foueis ad marginem impreſſis, oculos excauatos, halone liuido cinctos, oculos nigerrimos cum pupillis amplis, albuginea interea madore ſplendente, tuſſes ſaepe moleſte irritantes in ſumma larynge, oris ventriculi dolores vel contentionem leuiuſculam circa vmbilicum. Haemoptoen a vermibus poſſe effici, probat Cl. Auctor partim eadem ratione, ac alias haemorrhagias verminoſis ſolennes et ſupra a nobis commemoratas explicat, partim ex effectu medicamentorum. Per aluum enim ducentia, vermibus expulſis, ceſſauit haemoptoe. Quapropter in omni omnino haemorrhagia, a cauſſa verminoſa orta, aluo eſſe proſpiciendum, Cl. Auctor monet. Caeterum quod curam attinet, elixirio vitrioli acido, quod parauit ex ſpiritu vitrioli, tinctura chinae et cinnamomi, et decocto mercurii in tympanitide verminoſa optimo cum ſucceſſu vſus eſt, eoque non ſolum vomitum atque cardialgiam ſedauit, ſed etiam aluum, antea pertinaciter clauſam, inter eius vſum reddidit apertam.

Leucophlegmatiae verminoſae cauſſa cum ab in- p. 159.
dole morbi mucoſi primarii pendeat, ſedulo ad eum

reſpiciendum eſt. Raro enim ſolis diureticis cedit remediis, niſi vermes expellendi eorumque nidum deſtruendi habeant vim, ac tum obſtructiones in viſceribus chylopoeis ſponte quaſi reſoluuntur. Porro in nullis propemodum verminantium morbis tantam pupillarum dilatationem, quantam in leucophlegmatia verminoſa, atque maiorem oculorum ſplendorem obſeruauit Cl. Auctor. Remedia, quod attinet, ea adhibuit, quae ſupra commemorauimus.

p. 170. Nec minus reſpicit Noſter in cute ferina seu exanthematibus verminantium ad morbum mucoſum. Materie enim hac mucoſa, calore corporis, acri facta et degenerata, et ex primis ad ſecundas vias indeque ad peripheriam corporis delata, varia exanthemata et vlcera oriri oportet. Quapropter primis viis praecipue proſpiciendum eſt.

p. 179. Quemadmodum vero Cl. Auctor in verminantium exanthematibus omnino primas vias inprimis depurandas, ſic omnia fortiora purgantia in iis vitanda et externa caute adhibenda eſſe ſuadet. Neceſſariam enim vrget eryſipelatis aeque ac reliquorum exanthematum verminoſorum diſtinctionem in ſymptomaticum et idiopathicum. In ſymptomatico ad primarium morbum, in idiopathico ad topicum malum eſt reſpiciendum. Si a bile cauſtica eryſipelas proficiſcitur, cauendum eſt, ne peruerſa medela in dyſenteriam malignam abeat. Tutiſſima remedia ex cornu cerui vſto in eryſipelate petuntur, quo cum rob ſambuci coniuncto, aduerſus illud domeſticum habetur remedium et lumbricis vere inimicum eſt.

p. 189. Praemiſſa febre acceſſoria inflammatoria, vbi potiſſimum aphtharum diſtinctionem in veras et ſymptomaticas Cl. Auctor vrget, mucoſo verminoſam grauí-

grauidarum et puerperii acceſſoriam perſequitur febrim. Verminoſa cauſſa in grauidis anxietates praecordiorum inſignes et diurnas, vteri tantos ſpaſmos, tantamque orificii vterini dilatationem, vt magna aquarum copia emitteretur, inſolitam mammarum intumeſcentiam, epilepticos inſultus, vt riſum inuoluntarium, aphthas, imo abortum, in puerperis metaſtaſes ad caput effecit, lactis ſecretionem et vterinas euacuationes cum imminuit, tum prorſus impediuit et fluorem alui induxit. Ac miratur profecto Noſter, lactis repulſionum in ſanguinem, a cauſſa verminoſa profectarum, tam raro ab Auctoribus mentionem eſſe factam, cum nullibi crebriores, quam in puerperis, verminoſa labe laborantibus, deprehendantur.

Quemadmodum pleuritis et peripneumonia magna gaudent diuerſitate, quae partim ab aegrorum, qui afficiuntur, varietate, partim tempeſtatum viciſſitudine, vt pleuritis vernalis atque aeſtiua, conſtitutione porro epidemica et ſporadica proficiſcitur, ſic ſaepenumero ambarum quoque cauſſa latet in primis viis, ideoque a vermibus, ibi morantibus, oriri poſſe has, nec tum pulſus exploration-nem, nec ſolas vaſorum inanitiones ſufficere, ſed oculorum, linguae et vrinae rationem ſimul eſſe habendam, Noſter arbitratur. Atque tum potiſſimum laudat Cl. Auctor oxymel ſcilliticum, antimonium diaphoreticum, cum ſale ſuo ſtibiatum, nec non kermes minerale, quippe quo inprimis tam expectorationem promouendo, quam vermes expellendo inſigni cum fructu vſus eſt in his morbis. In quibus praefert decocta ſaturata radicum aperientium, foeniculi, leuiſtici, petroſelini, parietariae cum ſalibus mediis manna aut ſyrupo cichorei cum rheo, purgantibus fortioribus, niſi perturbatio encephali metaſtatica fortiora exigit. p. 231.

Iam

p. 287. Iam ad ſymptomata nonnulla, indiſcriminatim cum acutos, tum chronicos verminantium morbos comitantia, progreditur. Horum plurima ſuis iam-iam locis in antecedentibus ſunt expoſita, inter quae potiſſimum referuntur febrium typi inconſtantes, viciſſim alternantes, ſeu duplicatis paroxyſmis accedentes, ſudores copioſi, colliquatiui raro critici, aphthae, exanthemata ferina, haemorrhagiae ſpontaneae, variarum partium dolores acerbiſſimi et ſpaſtici. Hic autem inprimis conſiderat Cl. Auctor capitis dolorem, primarum viarum degenerationes, vrinae phaenomena, ſtranguriam et viſus obnubilationem. Ventriculi cruditatibus, nauſea, ructibus et vomitu omnino conſideratis, ad alui fluxum verminantium Noſter deuenit.

p. 303. Atque hic ſuadet diuerſitati dyſenteriae, quae vel eſt mucoſa, vel bilioſa, vel verminoſa, vel cruenta accommodare medicamenta, nec cum HIPPOCRATE alui recrementum glutinoſum, ſincerum aut album in verminoſis morbis eſſe pertimeſcendum monet, cum plerumque interitum vermium eorumque nidi deſtructionem denotet.

p. 321. Vrina verminantium interdum eſt lactea, turbida, limoſa aut iumentacea, incocti quid genitura ſimilis continens. Atque hic cortex Peruuianus convenit. Alii ſtranguria afficiuntur verminoſa, in qua ad ventris cruciatus et primarum viarum ſaburram attendere oportet.

p. 340. Quod attinet ad medicamenta anthelmintica, quorum plurima iam in ſuperioribus, cum morbos verminoſos pertractaremus, a nobis ſunt commemorata, in vniuerſum monet Cl. Auctor, non eſſe ſingulari formulae nimis fidendum, eaque omnibus omnino morbis verminoſis medendum. Nimia enim eſt eorum diuerſitas; non ſimplex igitur medi-

medicamentum, ſed varia poſtulant remedia, aegroto eiusque aetati, ſexui, vitae generi, idioſyncraſiae, anni temporibus et tempeſtatum viciſſitudinibus, quid, quod morbis epidemice graſſantibus, accommodata. Mercurium dulcem, quod ſaepenumero pauca modo grana excitarunt ſaliuationem, et decoctum mercurii viui, vt medicamenta anthelmintica, non laudat. Oleoſorum quoque adhibendorum ratio eſt habenda, in aluinis potiſſimum doloribus et ſpaſmis. Inde et veteres oleum oliuarum cum ſucco granatorum, ad vermes expellendos cum fructu exhibuerunt. In morbis acutis corticem et acida mineralia ſimul adhibuit, nec non veſicatoria, venaeſectionem, mittimus alia, vt in pleuritide et peripneumonia verminoſa. Aliis ac inprimis, ſi ſimul cum vermibus bilis corrupta aderat, extracta amara, gummata ferulacea, praecipue aſam foetidam, cum aloë aliisque purgantibus, coniuncta dedit. Nec morem illum vituperat Noſter, vbi magnam aquae frigidae copiam propinant iis, qui fortiora aſſumſerunt purgantia, idque et tum ſuadet meliori profecto cum fructu ac ſecurius, vti Noſtro videtur, cum aquae mercuriales, vel alia metalla ſunt exhibita, modo viſcerum ſtatus ſit integer et fiat hoc omni, qua par eſt, attentione medici. Nec externa, quae ad vermes enecandos et expellendos applicantur, prorſus reiicit. Quin ruſticum remedium, ieiuno ventriculo radices dauci vulgaris ingerendi, non omni anthelmintica virtute eſt deſtitutum et nonnullis infantibus ſalutare.

Dum quorumdam verminantium ſymptomatum rationem Noſter perſequitur, arbitratur, plerorumque verminantium ſymptomata in ſecretorum humorum deprauatorum copia ac viſcerum ſecernentium vitiata ſtructura atque partium ſenſibilium irritabiliumque a vermibus affectione eſſe quaerenda. In genere Cl. Auctor vniuerſum corpus animatum p. 354.

matum ſupponit et cum praecipua ſenſus ac motus organa nerui, eorumque mirae ſint conſpirationes, ad eos potiſſimum reſpicit, ac inprimis quidem nervum magnum ſympatheticum ſeu intercoſtalem conſiderat. Variis ſcriptis, ad hunc neruum pertinentibus, eiusque principium aeque ſpectantibus, ac totam controuerſiam, de hoc neruo eiusque origine inter eruditos ortam, nominatis, veram eius originem monſtrat atque variam eius cum capite, ac potiſſimum oculis connexionem, partim aliorum, magna cum ſtudii aſſiduitate a Noſtro collectorum, partim ſuis experimentis roborat. Ex hoc itaque neruorum conſenſu varia verminoſa ſymptomata, vt capitis dolorem, viſus obnubilationem, oculorum mutationes, aurium tinnitus, ſurditatem, aphoniam, ſaliuationem, gingiuarum ardorem, maxillae inferioris motus tetanicos, ſingultus, reſpirationem oppreſſam, cordis palpitationes, pulſus mutationes, anxietates, dolores inter ſcapulas, conuulſiones per totum corpus cet. exponit.

p. 378. Tandem quaedam ad verminantium diagnoſin ſpectantia, addit Cl. Auctor. Non ſemper omnibus opus eſt ſignis verminoſis, cum pauca aliquando rem prodant verminoſam. Sola enim ſaepenumero ſufficit pupillae dilatatio in obambulantibus, vel linguae ſymptomata et vromantia in acutis morbis ad verminoſam diagnoſin ſtabiliendam et confirmandam. Porro in infantibus ſolummodo terror in ſomno et oculorum palpebrarumque phaenomena manifeſtant animatam potentiam. Quamquam tandem Cl. Auctor non inficias it, neruorum pariter, ac vaſorum interdum eſſe luſum, tamen non retur, ſingularis rami neruoſi aberrationem poſſe impedire, quo minus omnimodus neruorum conſenſus et tanta, quanta, nerui intercoſtalis ope, eſt cum quinto, ſexto, ſeptimo, octauo nonoque neruorum pari cumque

cerui-

ceruicalibus, phrenico, brachialibus, thoracis ac abdominis plexibus peculiaribus communicatio penitus tollatur, ideoque ipſi Auctori multa verminoſa ſymptomata ex hoc neruorum conſenſu, iure meritoque poſſe et debere explicari, ſtabiliri ac confirmari videntur.

III.

The works of ROBERT WHYTT, M.D. late Phyſician to his Majeſty, Preſident of the royal College of Phyſicians, Profeſſor of Medicine in the Univerſity of Edinburgh, and Fellow of the royal Society. Publiſhed by his Son. Edinburgh. Printed for T. Becket, and P. A. de Hondt London, and J. Balfour Edinburgh. 1768. in 4. alph. 4. pl. 7.

i. e.

Opera ROBERTI WHYTT, M. D. edita a filio.

Continet haec collectio omnia opera Cel. WHYTTII, cuius obitum alio loco indicauimus *), iam antea edita et opuſculo inedito *de hydrope cerebri interno* aucta. Prodiit ea curante filio, et Cel. PRINGLE ob ſingularia eius in hanc editionem operum amici merita dedicata eſt **).

1. Primum ſcriptorum, quae in hac editione comprehenduntur, eſt *commentarius de vitalibus et aliis* p. 1.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 533.

**) Scripta Cel. WHYTTII, quae ad praxin medicam ſpectant, in Germanicam linguam translata et paſſim variis annotationibus aucta, prodierunt Lipſiae hoc ipſo anno apud Caſp. Fritſchium ſub titulo: ROBERT WHYTTS *ſämmtliche zur practiſchen Arzneykunſt gehörige Schriften, aus dem Engliſchen nach der neueſten Ausgabe überſetzt, in* 8 *mai.*

aliis inuoluntariis motibus in animalibus. De hoc commentario, qui primum anno 1755 et deinde an. 1763 editus est, iam alio loco ad Lectores retulimus *).

p. 209. 2 et 3. *Tentamina physiologica, quae continent* 1) *disquisitionem caussarum, quae circulationem fluidorum in*
p. 255. *vasis animalium minimis promouent.* 2) *Obseruationes de sensibilitate et irritabilitate partium corporis humani aliorumque animalium, occasione nuperi scripti* Ill. DE HALLER *circa hanc rem.* Prima editio prodiit anno 1755, secunda 1759, tertia 1761 et quarta 1766, de qua alio loco diximus **).

p. 304. 4) *Relatio de nonnullis experimentis cum opio in viuis et morientibus animalibus factis.* Primum prodiit in *Edinb. phys. and literary essays* Vol. II. p. 280***).

p. 329. 5) *Commentarius de viribus aquae calcis et saponis in calculi curatione.* Haec primum in *Edinb. phys. and lit. essays* publicata, aliquoties deinde seorsim impressa (1752, 1754, 1761) pluribusque observationibus et annotationibus aucta, hic sistitur ****).

p. 431. 6) *Appendix ad hunc commentarium, continens historias morborum* Ill. H. WALPOLE, S. V. NEWCOME, Cl. W. HAY, L. TREVIGAR cet. *****).

p. 467. 7) *Commentarius de varia vi variarum specierum aquae calcis viuae* ******).

p. 477. 8) Cel. PRINGLE *epistola ad* Cl. TH. BIRCH *cum literis* Cel. WHYTT, *quae nonnullas annotationes ad commentarium de aqua calcis viuae continent* *******).

9) *Ob-*

*) vid. Comment. nostr. Vol. I. p. 589.
**) ibid. Vol. XIII. p. 277.
***) ibid. Vol. VII. p. 87.
****) ibid. Vol. IV. p. 611.
*****) vid. Phil. transact. Vol. L. P. I. p. 209. Comment. nostr. Vol. IX. p. 681.
******) vid. Edinb. phys. and literary essays. Vol. I. p. 372. Comment. nostr. Vol. V. p. 67.
*******) vid. Phil. transact. Vol. L. P. I. Comm. nostr. Vol. IX. p. 691.

9) *Obſeruationes de vi lithontriptica thermarum Carolinarum, aquae calcis viuae et ſaponis*, in litteris Cl. Auctoris ad Cel. PRINGLE *). Obſeruationibus his, vti loco inferius memorato iam monuimus, Cel. Auctor reſpondet ad commentationem Cl. SPRINGSFELD *de praerogatiua thermarum Carolinarum in diſſoluendo calculo veſicae prae aqua calcis viuae*, quae Lipſiae a. 1756. in quarto edita eſt **). p. 479.

10) *Obſeruatio de virtute medica vis electricae in paralyſi.* Haec a Cl. BRYDONE Cl. Auctori tradita, ab eo cum Societate Regia communicata eſt ***). p. 483.

11) *Obſeruationes de natura, cauſis et curatione morborum neruorum*, de quo eleganti opere, cuius tres editiones a. 1764. 1765. et 1767 vulgatae ſunt, fuſius alio loco expoſuimus ****). p. 487.

12) *Obſeruationes de ſingulari vi veſicatoriorum pulſus celeritatem in tuſſi cum infarctu pulmonum et febre coniuncta minuendi* *****). p. 715.

13) *Obſeruationes de hydrope cerebri.* Diſputat hic Cl. Auctor inprimis de ea hydropis cerebri interni ſpecie, cuius ſedes in ventriculis cerebri lateralibus reperitur, quae omnium maxime frequens et periculoſa eſt, licet pauci ſcriptores eam cognouerint. Quae enim HIPPOCRATES (de morbis L. II. cap. 6.) habet, ad eam hydrocephali ſpeciem, in quo aquae inter duram matrem et cerebrum effuſae ſunt, pertinent, cum caput ad cerebrum vſque perforare et aquam emittere iubeat. Inter recentiores primum MERCURIALIS hydropis ventriculorum mentionem facit, PETITUS vero (Mem. de l'A- p. 723.

*) vid. Phil. tranſact. l. c. et Comm. noſtr. l. c.
**) vid. Comm. noſtr. Vol. V. p. 539.
***) vid. Phil. tranſact. l. c. et Comm. noſtr. l. c.
****) vid. Comm. noſtr. Vol. XIV. p. 100. ſeq.
*****) vid. Philoſ. tranſact. Vol. L. P. II. p. 569. et Comm. noſtr. Vol. X. p. 137.

de l'Acad. de Paris 1718. p. 118.) fuſius hydropem hunc deſcribit et ſymptomata commemorat, quae in eiusmodi aegris obſeruari ſolent; quam vero deſcriptionem minus completam eſſe, nec ex ſignis hic adductis diagnoſin eiusmodi hydropis formari poſſe, Cl. Auctor aſſerit. Suturarum cranii in hydrope receſſus rariſſime accidit, nec vnquam ab hac ſpecie Cl. Auctor magnitudinem capitis auctam vidit. Hinc alia ſigna addit, omnemque morbi decurſum in tria ſtadia diſtinguit, ſingulorumque ſtadiorum ſymptomata fuſius deſcribit, ex viginti et vltra aegris ſedulo collecta.

p. 729. In pueris hydrocephalo interno obnoxiis quatuor ſex vel plures ſeptimanas ante mortem ſequentia obſeruantur ſymptomata. Appetitus ciborum minuitur, languent et tabidi fiunt, ſimulque febre laborant anomala aut lenta, pulſu non pleno, ſed debili. Vexantur ſiti et quotidie fere ſemel vel bis vomitum experiuntur. Duos tamen Cl. Auctor vidit aegros, in quibus vomitus non aderat. Conqueruntur de dolore in vertice vel fronte. Aluus vt plurimum obſtructa eſt, nec facile purganti remedio mouetur, nonnulli tamen diarrhoea nonnunquam laborant. Animus deiectus eſt, fereque ſemper in lecto cubant, licet minime ſoporoſi ſint, ſed raro dormiant. Lucem abhorrent, ſique candela accenſa oculis admouetur, de dolore conqueruntur. Digitos ſaepe naribus admouent, et dentibus ſtridunt, vti infantes, qui vermibus laborant, ſaepius facere ſolent; vt itaque difficulter in hoc ſtadio morbus hic a lenta febre, quae a vermibus vel vitio viſcerum aut alia cauſſa oritur, diſtingui queat.

p. 730. Secundi ſtadii initium Cl. Auctor ibi ponit, vbi pulſus, qui antea celer, ſed aequalis et regularis erat, tardus, inaequalis et irregularis fieri incipit; quod, vt plurimum, tres ſeptimanas, vel quatuordecim

cim dies ante mortem accidit. Pulſus tarditas ſaepius maior eſt, quam in ſanis eſſe ſolet. Symptomata recenſita perſiſtunt, ſed circa finem periodi huius aegri ſoporoſi fiunt. Suſpiria ſaepius edunt, licet de nullo peculiari dolore conquerantur. Oculi introrſum vel extrorſum conuerſi ſunt, et nonnunquam aegri obiecta duplicia vident. Nonnulli circa finem periodi huius delirare incipiunt. In aliis vermes eiiciuntur, qua tamen re ſymptomata minime leuantur. Vrina multum variat; halitus foetet.

In tertia periodo pulſus celeritas iterum ad 130 p. 732.
pulſus in minuto primo augetur et ille ſimul regularis fit, quod quinque, ſex vel ſeptem dies ante aegri obitum obſeruatur. Simul aegri ſoporoſi fiunt, palpebrae vel vna tantum earum paralyſi afficiuntur, et pupilla vim ſe contrahendi perdit atque dilatata manet. Vidit tamen Cel. Auctor nonnullos aegros, in quibus ex debiliſſima tantum irritatione, v. c. ex vſu aquae cinnamomi vel ſpiritu volatili naribus admoto pupilla dilatabatur. Ante mortem vt plurimum in his aegris motus conuulſiui vel ſpaſtici obſeruantur, et calor vnam vel alteram genam occupat. Qui antea aluo obſtructa laborabant, nunc diarrhoeam experiuntur. Leuiora ſymptomata et varietates, a Cel. Auctore in variis aegris obſeruatas, omittimus.

In omnibus aegris, quos diſſecauit, aquam in p. 734.
ventriculis anterioribus et nonnunquam etiam in tertio vel quarto ventriculo reperit. Vno ventriculo aqua diſtento, parua tantum copia in altero aderat. Copia huius aquae, vt plurimum, duas ad quinque vſque vncias aequabat. Semel tamen octo vnciae repertae ſunt. Aqua haec non, vt pericardii liquor vel paracenteſi educta aqua, calore coagula-

tur *), cum arteriae cerebri exhalantes vaſis exhalantibus aliarum partium longe minores ſint.

p. 735. Ex omnibus tandem ſymptomatibus hic deſcriptis Cel. Auctor ſigna colligit, quibus morbus hic veteribus incognitus et a recentioribus neglectus dignoſci poſſit. Haec praecipue in pulſu poſita ſunt, qui primum celer et aequalis, deinde vero tardus et inaequalis eſt, tandemque iterum celer et aequalis fit; quod nec in febre a vermibus, nec febre ab obſtructione glandularum meſenterii orta, obſeruatur. In aliis quoque morbis v. c. cephalalgia, doloribus colicis, ſpaſticis etc. pulſus inaequalis quidem et tardus eſt, ſed cutis non calet, nec ſitis aegrum vexat.

p. 738. Cauſſas deinde hydropis huius Cl. Auctor examinat, docetque, vel laxitatem vaſorum cerebri, vel laeſionem et compreſſionem cerebri in partu, vel indurationem glandulae pituitariae aut alius partis cerebri ventriculis vicinae, vel nimiam ſanguinis tenuitatem, vel vrinae ſuppreſſionem, aquae in cerebri ventriculis contentae copiam morboſe augere poſſe.

p. 740. His expoſitis, Cl. Auctor ſymptomata ſuperius deſcripta, quae fere omnia ex compreſſione cerebri ab aquarum copia oriuntur, fuſius phyſiologice et pathologice explicat; quae tamen, breuitatis ſtudioſi, licet lectu digniſſima ſint, omittimus, tandemque

p. 744. ad morbi curationem accedit. Si morbi huius praeſentia ſtatim in initio, aquarum copia nondum aucta, dignoſci poſſet, purgantibus, diureticis, veſicatoriis, frictione, corporis exercitatione et diaeta vlterior morbi progreſſus certe impediri poſſet. Cum vero tum demum eum cognoſcamus, vbi aquae preſſione cere-

*) Haec etiam Cel. DE HAEN eſt obſeruatio vid. *rat. medendi* Vol. IV. c. 6. et Ill. MORGAGNI *de ſedibus et cauſſis morborum* Ep. IV. §. 2. ex obſeruationibus VALSALVAE. Putat tamen Ill. HALLERUS omnino coagulari (Elem. Phyſ. T. IV. p. 45.) et, ſi non coagulatur, ſemper putredine iam reſolutam eſſe.

cerebri actio laeditur, parum ab omnibus remediis ſperare licet. Purgantia enim et diuretica, quae in aliis hydropis ſpeciebus vtiliſſima ſunt, hic ob cerebri ab abdomine diſtantiam, motum fluidorum per cerebri vaſa languidum et reſorptionem fluidi a compreſſione parietum ventriculorum impeditam, nullum auxilium ferre poſſunt. Paracenteſin vero non inſtitui poſſe patet. Hinc Cl. WHYTT libere fatetur, ſe nullum aegrorum, hoc morbo affectorum, curaſſe, licet purgantia ex rhabarbaro et ialappa cum calomel, errhina et veſicatoria, quae in ſecundo ſtadio ſymptomata leuant, adhibuerit, putatque illos aegros, quos alii ſe curaſſe crediderunt, non hydrope cerebri, ſed alio morbo laboraſſe.

14) Appendicis loco adduntur 1) *relatio de morbo epidemico Edinburgi et aliis in locis Scotiae auſtralis autumno 1758 ſaeuientis* *). p. 747.

15) 2) *Excerpta ex variis litteris Auctoris Cl. ad Cl.* PRINGLE, *quibus vſus mercurii ſublimati in cura vlcerum phagedaenicorum declaratur* **). p. 749.

Sufficiat annotaſſe deſiderari in hac editione operum Cel. WHYTTII: 1) *Commentarium de differentia reſpirationis atque motus cordis inter homines dormientes atque vigilantes*, qui in *Edinb. Eſſ.* Vol. I. p. 436. continetur ***), quem vero Cel. Auctor *commentario de motibus vitalibus* (p. 178 – 183) inſeruit. 2) *Deſcriptionem matricis ſiue ouarii buccini ampullati*, quae Vol. II. *Edinb. Eſſ.* p. 8. inſerta eſt ****), et quam Cl. Editorem, cum nullas ad rem medicam pertinentes obſeruationes contineat, ſtudio omiſiſſe coniicimus. Deſideratur quoque figura

*) vid. London Medic. Obſervat. and inquiries Vol. II. p. 187. et Comment. noſtr. Vol. XII. p. 454.
**) ibid. p. 213. et ibid. Vol. XII. p. 455.
***) vid. Comment. noſtr. Vol. V. p. 77. et 455.
****) ibid. Vol. VII. p. 69.

qua calculus in vesica repertus delineatur, quae ad *commentarium de vi aquae calcis contra calculum vesicae* pertinet.

IV.

Neues systematisches Conchylien-Cabinet, geordnet und beschrieben von FRIEDRICH HEINRICH WILHELM MARTINI, *der Arzneygelahrtheit Doctor und approbirter Practicus in Berlin, und unter dessen Aufsicht nach der Natur gezeichnet und mit lebendigen Farben erleuchtet. Erster Band. Mit Approbation und unter der Protection der Königl. Preussischen Academie der Wissenschaften. Nürnberg bey G. N. Raspe.* 1769. 4. *Alph.* 2. *pl.* 12. *tab. aen.* 31. *et tab.* 16. *minores.*

i. e.

Nouum et systematicum museum conchyliorum dispositum et descriptum a FRIEDERICO HENRICO GUILIELMO MARTINI, M.D. et sub eius inspectione ad naturam delineatum viuisque coloribus illustratum. Volumen primum cum approbatione et sub auspiciis Academiae Regiae Borussicae.

Magna profecto cum voluptate, nec minore cum desiderio etiam reliquas eius partes quam proxime videndi, hoc, quod iam indicamus opus, perlegimus. Etenim illud non Auctori Cl. solum, sed patriae quoque vniuersae eximio honori, omnibusque, qui systematicam conchyliorum notitiam sibi comparare cupiunt, maxime proficuum fore iudicamus. Consilium vero Cl. MARTINI illud fuit, vt testaceorum

ceorum, quotquot vel ipſe viderat vel ab aliis Auctoribus deſcripta et depicta cognouerat, collectionem curaret talem, cui nihil deeſſet. Cui conſilio vt ſatisfieret, operam dedit, vt omnia ad naturam vel ſecundum figuras ab aliis Auctoribus, optimis quibusque, datas depingerentur, et viuis coloribus illuſtrarentur. Vſus propterea eſt arte Cl. HAPPE pictoris Berolinenſis, atque iſto modo vno hoc opere collecta propoſuit, quaecunque ex tam multis iisque ſaepe rariſſimis et pretioſiſſimis operibus, non ſine multo labore temporisque iactura, antea conquirenda erant. Quantopere vero, ſuſcepto hoc opere, conchyologicum ſtudium diſcentibus leuatum, eiusque incrementa in vniuerſum ſint promota, cuique facile patet; ſiquidem quae nondum deſcripta paſſim in muſeis lateant, vel ex remotiſſima quaque regione noua aduehantur, facile nunc addi et ad ſua genera referri, hac data opportunitate, poſſunt. Atque ii ipſi, qui teſtacea conquirendi occaſione deſtituuntur, *muſeo* hoc ſolo plenariam conchyliorum omnium cognitionem leui labore acquirere poterunt. Vſus autem eſt in hac re Cl. Auctor non proprio tantum muſeo, ſed et variis inſtructiſſimis aliis; et praeter haec omnia, quae in LISTERI, GUALTIERII, SEBAE, BONANI, RUMPHII, KLEINII, PLANCI, LESSERI, ADANSONII, D'ARGENVILLE, DAVILA*), GEVE**), KNORRII***), REGENFUSII cet. operibus reperiuntur,

*) *Catalogue ſyſtematique et raiſonné des curioſités de la nature et de l'art, qui compoſent le Cabinet* de Mr. DAVILA 3. Vol. à Paris. 1767. 8. c. fig. aen.

**) Eſt pictor Hamburgenſis, qui teſtacea varia aeri inciſa et viuis coloribus diſtincta dedit, ſub titulo: *Monathliche Beluſtigungen im Reiche der Natur.* Hamb. 1755.

***) *Vergnügen der Augen und des Gemüthes in Vorſtellung*

tur, incredibili cum ſtudio congeſſit. Nec ſpecies modo ſingulas, ſed et plures varietates, nec non teſtacea arte v. c. politura mutata, hic paſſim nobis exhibentur, ne noua aliquis putet, quae fraude tantum mutata ſunt. Nihilominus tamen Cl. Auctor ipſe impoſſibile eſſe fatetur, vt omnes noſtro aeuo cognitae ſpecies teſtaceorum marinorum hoc opere exhibeantur, et ob eam rem ſupplementum et ſpicilegium eorum, quae in muſeis latent, proxime ſe editurum promittit, omnesque, qui teſtacea in hoc libro non deſcripta poſſident, rogat, vt ea beneuole communicent. De iis etiam conchis, quae in aquis dulcibus habitant, ſingulari opere acturum ſe eſſe promittit, quod vltimam partem maioris operis conſtituet. Spem quoque facit edendae philoſophiae conchyologicae, in qua ſingulares de conchyliis quaeſtiones tractabuntur, veluti de ſyſtematibus eorum cet.

In ipſa concharum deſcriptione non teſtas tantum ſeu exuuias animalis deſcribit, ſed quae ad noſtra vſque tempora de vermibus notata ſunt, qui in iis habitant, ex optimis Auctoribus ADANSONIO et D'ARGENVILLE collegit, eaque ipſa animalia internamque teſtarum ſtructuram depingendam curauit. Teſtacea omnia ad ductum proprii ſyſtematis diſpoſuit, ſecundum externam eorum formam, atque ea genera, quae habitu et forma conueniunt, ſerie quoque et ordine arctius connectit. Singulis deſcriptionibus character teſtae deſcriptae latina pariter atque germanica lingua praeponitur, quem excipiunt ſynonyma Auctorum et nomina triuialia latina, gallica, belgica et germanica.

Pri-

lung einer allgemeinen Sammlung von Muſcheln und andern Geſchöpfen, welche im Meer gefunden werden. Nürnberg. 1757 — 66. Vol. I. II. c. fig. viuis color. pictis.

Primum hoc volumen tubulos marinos omnis generis, patellas, aures marinas, nautilos, bullas et porcellanas tantum comprehendit, in quorum numero ſpecies variae nouae pluresque, vti iam ſuperius monuimus, varietates occurrunt. Iam vero vt Lectores noſtri de ſyſtematico ordine Cl. Auctoris, iisque capitibus, in quibus ille a Linnaeano aliisque ſyſtematibus diſcedit, iudicium facere queant, ſequentem appoſuimus ſyſtematis Cl. MARTINI, quantum eius quidem inſertum eſt huic tomo, tabulam, in qua ſpecies, quae in Linnaeano ſyſtemate reperiuntur, triuialibus nominibus Linnaeanis notavimus, aliasque, quae in eo deſiderantur et notatu videbantur digniores, aliorum Auctorum nominibus adduximus.

Claſſis prima: Teſtae vniualues.

Ordo 1. teſtae non turbinatae.

Sect. A. *teſtae fiſtuloſae ſeu tubuloſae.*

Genus 1. (*Caput* 1.) Tubuli conici cauitate continua. p. 1.

α. laeues, (*antales*): *Dentalium entalis*, *D. politum*, *D. eburneum.*

β. ſtriati et angulati (*Dentales*): *D. elephantinum*, *D. aprinum.*

γ. polythalamii: *Nautilus raphaniſtrum*, *N. faſcia*, *N. legumen*, *N. ſiphunculus* *), *N. radicula*, *N. obliquus* **).

*) Hunc nucleum maioris tubuli eſſe Cl. Auctor probat (p. 38).

**) Ad hoc genus orthoceratites petrificati pertinent, quorum ectypus adhuc incognitus eſt. Cl. Auctor refert (p. 5.) ſe orthoceratitem duplici ſiphone inſtructum vidiſſe, ſed in praefatione hoc ita emendat, vt doceat, duplicem ſiphonem in omnibus orthoceratitibus apparere, ſi ſecundum longitudinem et obliquе ſimul diſſecentur et politura ſubiiciantur.

p. 40. Genus 2. tubuli vermiculares.

α. teſtacei.

a) ſolitarii: *Serpula polythalamia*, *S. penis*, *Solen ocreatus* KLEINII, *Solen clibaniformis* EIUSD., *Solen corrugatus omnium maximus* EIUSD., *Serpula lumbricalis*, *S. anguina*, *S. arenaria*, *S. ſpirillum*, *S. ſpirorbis*, *S. vermicularis*, *S. ſemilunium* etc.

b) conglomerati 1. recti: *Tubipora muſica* *).

2. inordinate diſpoſiti: *S. glomerata*, *S. contortuplicata*, *S. triquetra*.

β. arenoſi ſeu *Sabellae*: *Sabella granulata*.

γ. ex arena et concharum fragmentis confecti: *Sabella chryſodon*, *S. alueolata*.

δ. coriacei: *Penicillum* GUALTIERII, *Sabella penicillus*.

Sect. B. *Patellae ſeu lepades*.

p. 77. Genus 1. et vnicum: *Lepas*. (Cap. II.).

α. vertice integro.

a) conicae v. c. *Patella vulgata*, *P. vrna*, noua ſpecies, *P. infundibulum magellanicum* Auctoris.

b) ouatae depreſſae, v. c. *P.* quam *le paraſol chinois* Cl. DAVILA vocat **), *P. teſtudinaria*, *P. mammillaris*.

c) margine inaequali v. c. *P. mitra lugubris*, noua ſpecies, *P. granularis*, *P. ſaccha-*

*) Hanc omnes fere alii Auctores ad zoophyta (vid. PALLAS elench. zooph. p. 337. et Comm. noſtr. Vol. XV. p. 161.) referunt. Forma vero et adhaeſio ad ſcopulos Cl. Auctorem permouerunt vt tubulis annumeraret.

**) Cl. Auctor hanc ſpeciem ipſe non vidit; alii, vti ex praefatione cognoſcimus, putarunt, ſquamam tantum maioris cuiusdam piſcis eſſe.

chanaria, *P. granatina*, *P. lacinioſa*, *P. oculus hirci* Auctoris etc.

β. vertice perforato. v. c. *P. nimboſa*, *P. graeca.*

γ. vertice adunco cauitate ſimplici v. c. *P. hungarica*, *P. fiſſura* etc.

δ. ſemi-concameratae ſeu ſtilo interno donatae: *P. equeſtris*, *P. chinenſis.*

ε. concameratae vertice roſtrato marginali *P. porcellana*, *P. crepidula* *), *P. fornicata*, *P. neritoidea* ſiue *valuata.*

Ordo II. vniualuia turbinata. p. 163.

Lib. I. ſpira occulta vel parum exerta ore longo patulo vel rima longa anguſta.

Sect. A. *cochlides ellipticae.*

Genus 1. *aures marinae* (Caput III).

α. perforatae latiores: *Haliotis midae*, *H. parua*, *H. ſtriata*, *H. marmorata parua*, *H. varia*, *H. tuberculata*, etc.

β. oblongae anguſtae: *H. aſinina.*

γ. imperforatae: *Patella lutea* **), quam Cl. MARTINI *auriculam muris* vocat.

Genus 2. *Catini lactei* (*Milchnaepfe.* Caput IV). Hoc genere comprehenditur tantum vnica ſpecies: *Helix haliotoidea.* p. 194.

Sect. B. cochlides planae intortae ſpiris vel occultis vel conſpicuis.

Genus

*) Hanc omnino patellis labiatis, nec, vti in duodecima editione ſyſtematis Linnaeani factum eſt, patellis baſi dentatis annumerari debere, Cl. Auctor aſſerit.

**) Hanc, quam LINNAEUS ob foraminum defectum ad patellas retulit, Cl. Auctor haliotidibus adnumerat, cum in omnibus aliis proprietatibus cum reliquis ſpeciebus huius generis conueniat.

p. 198. Genus 1. *Nautili* *), (Caput V.)

α. papyracei non tabulati ſiue vacui: *Argonauta argo*, *A. cymbium*.

β. craſſi concamerati: *Nautilus pompilio*, *N. calcar*, *N. triſpus*.

p. 154. Genus 2. polythalamii teretes, (Caput VI.)

α. ſpiris proxime ſe tangentibus, *Cornua ammonis vera*. *Nautilus* BECCARII.

β. ſpiris a ſe inuicem remotis: *Nautilus ſpirula*.

γ. apice tantum ſpirali: *litui* et *ſemi-litui*.

p. 266. Sect. C. Cochlides volutatae, ſeu ex vno latere in gyros latentes intortae, ore teſtae longitudinem vel ſuperante vel aequante

Genus 1. volutatae ſubouatae: *Bullae*, *Oua*. (Cap. VII.)

α. parum ventricoſae in gyros incompletos collectae: *Nux marina* GUALTIERII an *bulla aperta* LINN.?

β. ventricoſae vmbilicatae oris labio externo ſimplici: *Bulla ampulla*, *B. lignaria*, *B. phyſis*, *B. naucum*.

γ. per-

*) De vſu ſiphonis in nautilo Cl. Auctori (p. 109.) ea ſententia maxime arridet, quam anonymus in Gentlemans Mag. menſ. ian. 1752 propoſuit. (vid. Comment. noſtr. Vol. I. p. 502. ſeq.): tubum ſcilicet ſeu ſiphonem, dum nautilus viuit, flexilem eſſe et elaſticum, dilatationis aeque, ac contractionis capacem, pro diuerſis neceſſitatibus, quas animal requirit; forte eamdem habere vtilitatem, ac veſica natatoria in piſcibus, et animal eodem forte vti mechaniſmo, vt conſtringatur et expandatur; aërem exinde diſtribui per diuerſas cameras et centrum grauitatis mutari, prout inſtituendus motus illud requirat. Quod certe tam facile fieri non poſſet, ſi aër in ſingulae camerae ſuerit admiſſus cauitatem, deficiente hoc adiumento. Sententia haec vlterius confirmatur ex nautilorum foſſilium conſideratione *ibid.* 1752. p. 301. Comm. noſtr. Vol. II. p. 346.

γ. perfectae veneroides non vmbilicatae: *Bulla ouum*, *B. gibboſa*, *B. ſpelta*, *B. volua*, (*Weberſpuhle*, quae inter teſtacea rariſſima refertur).

Genus 2. volutatae ouatae, rima anguſta vtrinque dentata: *Porcellanae*. (Cap. VIII). p. 302.

α. ſimplices vel non fimbriatae conglobatae et craſſae. *Bulla verrucoſa*, *Cypraea mas*, *C. zickzack*, *C. vitellus*, *C. lynx*, *C. tigris*, *C. annulus*, *C. globulus*, *C. citercula*, *C. mappa*.

β. ſpirales leues ſiue tenues: C. *amethyſtea* etc.

γ. pyriformes ſimplices. vid. GUALTIERIUM tab. XIV. E et tab. XV. N.

δ. longae et anguſtae: *C. teſtudinaria*, *C. talpa*, *C. iſabella*, *Ouum caſuarii* RUMPHII, *C. aſellus*, *C. hirundo*, *C. argus* et varietates, *C. carneola*, *C. exanthema*.

ε. in vno tantum latere fimbriatae: *C. ſtolida*, *C. caurica*, *C. pediculus*.

ζ. in vtroque latere fimbriatae: *C. nucleus*, *C. ſtaphylea*, *C. lurida*, *C. caput ſerpentis*, *C. onyx*, *C. mauritiana*, *C. eroſa*, *C. poraria*, *C. arabica*, *C. ocellata*, *C. cribraria*, *C. moneta*.

V.

De vermibus in lepra obuiis iuncta leprosi historia et de lumbricorum setis obseruationes regiae societati scientiarum Gottingensi praelectae cum figuris aeneis. Auctore IOANNE ANDREA MURRAY. Gottingae impensis Io. Christ. Dietrich. 1769. 8. pl. 6. c. tab. aen. 2.

Quamquam hi duo commentarii regiae Scientiarum Societati Gottingensi non vno eodemque tempore sunt praelecti, tamen ob argumenti similitudinem coniunctim a Cl. MURRAY sunt editi. Inprimis cum contigerit Nostro, beneuolentia Cl. VOGEL, aegrum, Graecorum elephantiasi seu Arabum lepra affectum, videre, indeque has obseruationes de vermibus in lepra obuiis ditare. Additas demum obseruationes de lumbricorum setis, in quibus potissimum earum mobilitas spectatur, ideo attentione dignas reputat Noster, quod Auctores, qui contra Ill. LINNAEUM intestinales lumbricos aculeis instructos esse negent, ad assentiendum proniores reddi possint.

p. 3. Nomine leprae siue elephantiasis disquisito, notas horum vermium describit; quibus cum vermibus in oue detectis, comparatis, vtriusque discrepantiam ostendit, ac quaedam de genere horum animalculorum et vermium laruarumque distinctione addit.

p. 15. Vermes vero, a Cl. Auctore obseruati, ex vndecim annulis et antica acuta parte vncino deorsum flexo armata constabant. Maximi eorum dimidium pollicem aequabant. Color griseus erat praetereaque duo stigmata et canales aeriferi, nec non pedes inter

inter quoduis articulorum par conſpiciebantur. Similes iis erant vermes in ſpurcitie pauimenti reperti, in ouino autem cadauere deprehenſi colore cet. et vncinis duobus ab iis differebant. Poſteriores Cl. Auctor laruas *muſcae carnariae* LINNAEI eſſe demonſtrat. De prioribus vero dubius adhuc eſt. Putat tamen laruas fuiſſe *muſcae domeſticae* LINNAEI, quarum magna copia ad lectum aegroti aduolabat.

Harum muſcarum ortu et celeri incremento memoratis, duplex omnino ſtatuendum eſſe vermium genus in morbis, in quorum vno cauſſam morbi, in altero effectus eius ponit, arbitratur Noſter, Auctoresque, ad vermes in variis exanthematicis morbis reſpicientes, inter quos monumenta veterum hac de re poſteritati relicta deſiderat, memorat, et ROLANDRI, qui muſcae *leprae* ideo dictae, tribuit elephantiaſin nigritarum, mentionem facit. Figurae additae vermes aegri et vermes in oue repertos in variis partibus ſiſtunt. p. 29.

Haec ſequitur hiſtoria leprae, in qua hi vermes apparuerunt. Initium huius morbi impetigo faciebat, quae ceſſabat et redibat. Tum methodo medendi imprudenti adhibita, vbi potiſſimum mercurialia, vſque ad ſaliuationem propinata, valde noxia erant, tanta hoc malum nanciſcebatur incrementa, vt foetidiſſima vlcera totum corpus occuparent et teterrimus ille morbus, leprae nomine notus, naſceretur. In facie nimirum erant rotunda, eminentia, fuſca tubercula, quae naſi pinnas, labium ſuperius et mentum foedabant; in pectore diuerſae magnitudinis partim rubentia, partim nigricantia. Maxima et teterrima, nec non margine inflammato cincta, colore liuido praedita ichoreque pellucido, interdum vero pure, impleta erant tubercula in manibus et brachiis. Adhuc plus ichoris et puris efp. 45.

fluebat

fluebat ex vlceribus pedum, insigniter tumentium et peponem fere referentium. Atque sic, praesertim medicamentis, quae iam recensere volumus, adhibitis, totum corpus, ne capillatis quidem eius partibus exceptis, scatebat efflorescentiis cum insigni pruritu, dolore et foetore.

p. 52. Viperas, in hoc morbo iam laudatas, Cl. VOGEL vel solas vel cum cortice Winterano, dulcamara, bardana, saponaria, cortice Peruuiano coniunctas suasit interne, et externe depurabantur vlcera per folia boni henrici, recenter iis applicata. Ab initio hoc malum his remediis cedere videbatur, paulo post autem eo peius redibat, vt non solum magis tumerent, ruberentque supra nominatae partes, sed ipse sanguis ex his vlceribus efflueret. Propinabatur propterea decoctum radicis hellebori nigri, tinctura cantharidum ex mente MEADII et regulus antimonii medicinalis, sed sine omni omnino effectu, et, febre lenta accedente, pedibus insigniter tumentibus cum immensa aquae, quae effluebat copia, foetoreque aucto, aeger mentis compos exspirauit. Tres dies ante mortem vermes apparuerunt, quorum generationem promouisse impeditam aegri per mortem amatae puritatem, coelum calidum, conclauis angustiam et muscarum aduolationem, quae nullo modo poterant arceri, Noster fatetur.

p. 63. In altera dissertatione, Cl. MURRAY setas lumbricorum terrestrium sollicite describit; lumbricos enim intestinales eiusmodi setas habere, contra Ill. LINNAEUM (Syst. Nat. Ed. XII) plurimi et inter hos Cel. PALLAS *) negant. Quamquam vero iam TYSONUS, RAIUS, WILLISIUS variique

*) vid. EIUSD. diff. de infestis viuentibus intra viuentia. p. 13. vid. Comment. nostr. Supplem. IV. Decad. prim. p. 696.

que recentiorum has lumbricorum terreſtrium ſetas deſcripſere, varia tamen adhuc in earum hiſtoria deeſſe, ab iis Viris Cl. non annotata, accuratior harum ſetarum contemplatio Auctorem Cl. docuit. Vidit vero ſetas has quatuor ordinibus ſecundum omnem corporis lumbrici longitudinem excurrere, quemlibet autem ordinem duplici ſetarum ſerie conſtare, vt itaque quilibet annulus, eo, qui cingulum ſiue ephippium refert, excepto, octo eiusmodi ſetas oſtendat. Inferiorem vero corporis partem ſemper occupant, motuique vermis inſeruiunt. Quaelibet ſeta in vagina includitur, et, ſi pars in cute haerens ſimul menſuratur, duas tertias lineae aequat. Pars extra cutem prominens durior eſt ea, quam cutis includit. Anteriores ſetae retrorſum, poſteriores antrorſum, conuerſae ſunt, mediae vero erectae deprehenduntur. Emitti retrahique has ſetas poſſe Cl. Auctor obſeruauit, eo magis vero eminent, quo viuidior lumbricus eſt. Putat in humano lumbrico has ſetas longe ſubtiliores, et forte ideo ab obſeruatoribus non viſas eſſe, quoniam eo tempore in corpore delituerint. Si adeſſent, vel duritie aculeos lumbricorum terreſtrium aequarent, inſignes profecto crearent moleſtias, cum lumbrici rarius ſolitarii occurrant.

VI.

Nuove oſſervazioni ſopra i globetti roſſi del ſangue. In Lucca 1766. A Speſe di Vincenzo Landi Librajo Fiorentino. 8. mai. pagg. 45. cum dedicatione.

i. e.

Nouae obſeruationes ſuper globulis rubris ſanguinis. Auctore Cl. FELICE FONTANA.

p. 7. Quum celeber quidam in Italia philoſophus ante aliquot annos globulos ſanguineos figurae non ſphaeroideae aut oualis, ſed ſpiralis deſcripſiſſet depingendosque curaſſet, ac ſi eſſent cylindri ex ſacculis recuruis et extremitatibus inter ſe vnitis compoſiti et vacuum ſatis diſtinctum in medio offerentes: nouae hae obſeruationes iisdemque ſuperſtructae hypotheſes permouerunt Auctorem noſtrum, vt omnia haec experimenta curatius ipſe repeteret, quo, quod ipſis veri falſiue ineſſet, inueniret. Nihil autem videre ipſi contigit, niſi globulos veros, eos autem in media parte magis, quam
p. 11. in ambitu pellucidos: quandoquidem verum eſt, corpus ſphaericum qualecumque a luce tranſparente, prout eius ſitus aut directio variat, mutari. Eadem praeterea ratio eſt corpuſculorum rotundorum, quae in vegetabilibus microſcopium detegit, et ouulorum eorum ſeu particularum ſe mouentium, quae
p. 13. in vegetabilibus animalibusque partibus, corruptionem ſubeuntibus, conſpiciuntur; item animalculorum ſeminalium, qua in re BUFFONUS et NEEDHAMUS decepti ſunt, credentes, haec animalcula caudarum iacturam pati, quod mera illuſio optica eſt, a mutata lucis directione profecta. Et hac occaſione Noſter largam recenſionem experimento-

rum,

rum, ſuper his animalculis aeque ac iis, quae per infuſionem generari videntur, captorum, alia occaſione ſe exhibiturum promittit, quam auide nobiscum Lectores noſtros exſpectaturos putamus. In pulvere antherarum eadem mutatio obuenit, et licet p. 16.
in nonnullis plantis non contigerit, hoc tamen tribuendum erat texturae irregulari lamellarum exteriorum horum globulorum, ſiquidem, puluere in aqua macerato, laminisque ideo arctius ad ſe inuicem accedentibus, phaenomena reliquis ſimilia ſubſequebantur. Poteſt etiam cauſſa erroris in maculis exiliſſimis laminarum talci (vel micae potius, quae vitrum ruſſicum dicitur), quibus interponi ſolent obiecta oculo armato ſubiicienda, poſita eſſe. Minutiſſima denique corpora fere omnia facile eodem modo oculis noſtris illudere poſſe, exemplo buſſularum, ex fermentatione atque efferueſcentia natarum, patet. Quo vero euidentius figura particularum ſanguinis vera atque genuina eluceſceret, p. 19.
primo vnam eamdemque ſanguinis guttulam vno eodemque microſcopio vſus conſpexit, viditque moleculas has ſub ipſo examine figuram ſaepius mutare, prout maior vel minor lucis gradus, aut conus lucidus a ſpeculo reflexionis ad obiectum plus vel minus oblique delatus fuerit; imo, euaneſcente marginis globulorum parte, hos figuram ſemilunarem, ſemicircularem, aut denique bacillorum tenuiſſimorum aſſumere, cet. Cum igitur hae illuſiones viderentur ex eo proficiſci, quod obiectum ſiſtatur, a parte inferiori illuminatum, adeoque luce refracta conſpiciatur, melius factum iri putabat Noſter, ſi ſolum luce, reflexa ab ipſo obiecto, vteretur. Qua mente collectam per aliquot ſpecula re- p. 21.
flectentia lucem, mediantibus tubis opacis, ad minus ſpeculum argenteum deducebat, cuius in foco lentem exactiſſimam collocauerat, ita quidem, vt glo-

buli ſanguinis lucem, ex loco ſuperiori acceptam, protinus reflecterent, verſus oculum obſeruatoris. Perſpicue tunc videbat globulos hos vere ſphaericos, ſimulque nullum in iis praeter rubrum colorem detegebat: intenſior tamen is eſt in arteriis, quam in venis, ob diuerſam horum vaſorum ſtructuram; intenditur item a maiori ipſorum coagmentatione, cum e contrario in vaſis minimis, inprimis ſi vnum tantum globulum capiant, tranſparens ſit, vbi etiam globuli figurae ſpiralis deprehenduntur, in maiores autem tranſgreſſi canales rurſus ſphaericam figuram offerunt. In minimis tamen itidem colorem rubrum globulus praebet, cum lux non aequaliter ſuper canalem vel globulum extenditur, et ſuperior ſuperficies maiorem eius partem, quam inferior accipit. Auctor iſte, quem refutat Noſter, eo etiam ſpatium vacuum in medio globulorum ſanguinis probare anniſus eſt, quod per eos-
p. 23. dem tranſparent maculae et inaequalitates micae: ſed globuli iſti, tunc demum tranſparentes, reddun-tur, cum lux maiori copia per centrum ipſorum tranſit, quod aliae etiam obſeruationes docent. Icones etiam incogniti illius Auctoris non ſufficiunt explicandae figurae, quam ille globulis ſuis tribuit.
p. 24. Si globuli iſti proxime ſibi inuicem adiacent, videntur conflari ex ſpiris duabus, ita vt alter circulus niger exteriorem ambitum, alter centrum conſtituat; ſin autem remoueantur a ſe inuicem, iterum tranſparent et pellucidiſſimi conſpiciuntur, adeo vt hoc etiam phaenomenon illuſionibus opticis ſit annumerandum. Porro memoratu dignum eſt, eosdem, potiſſimum ſi ex animalibus frigidis deſumti fuerint, laminae cryſtalli impoſitos ita, vt vnus ab altero diſtet, videri paullum conquaſſari reddique latiores, forſan proprio pondere, vel quia abeſt ſerum, quod ipſis in vaſis continebat. Harum tamen muta-

mutationum cauſſae non penitus patent. Quod auxilia ſpectat, quibus has ſic dictas ſpirulas ſe detexiſſe ſibi perſuaſit Auctor iſte Italus, globuli vitrei, p. 27.
lentium loco adhibiti, licet ob focum minorem multum faciant ad augendam obiecti magnitudinem, pluribus tamen, quam lentes, incommodis laborant; id quod etiam de microſcopio ſolari valet, niſi hoc ſecundum propoſitum DOLLONDI, corrigi et colores iridis ab eo ſeparari queant. Summum incommodum, ab iſtis globulis vitreis exſpectandum, quod in lentes non adeo cadit, in aberratione lucis p. 28.
poſitum eſt, quod etiam ſolertiſſimus HENR. BACKER iam indicauit. Commemorandus praeterea eſt alius error opticus, in eo conſiſtens, quod p. 29.
globuli, in vaſis conſiderati, ſaepe videantur mutare colorem et figuram, quod tamen Noſter potius ſero, cui innatant, et quod frangendo radios lucis nobis poteſt imponere, adſcribi debere, quam vere contingere putat, neque perſuadere ſibi valet, impulſum ipſum globulorum ad ſe inuicem nobis adeo facile exhibere poſſe mutatam ipſorum figuram.

Hanc tamen mutationem vere perſpexit in pul- p. 32.
monibus ranarum, quam prolixiſſime viuidiſſimeque deſcribit: in minimis quippe vaſculis globulus figurae ſphaericae elongatur ad tertiam, dimidiam, imo duplam partem diametri, adeo vt verum cylindrum conſtituat; ſimulac vero vas maius intrat, priſtinam rurſus formam conſequitur. Similem mutationem piſciculorum caudae conſpiciendam praebent. Ad opticas porro illuſiones refert filamenta vel fibras, ſalesque natantes in ſanguine, porro ſeries globulorum minorum, ex quibus maiores confluant. Hoc tamen obſeruatu et miratu dignum eſt, in caudis piſcium ſaepe arteriam in venam, breui poſt iterum in arteriam, et demum rurſus in venam mutari. Figura globularis corpuſcu-

lis minimis fluidorum animalis aeque ac vegetabilis regni propria esse videtur. Polypi illud genus, quod LINNAEUS *gordium* dixit, et multa alia ex vermium classe videntur ex meris eiusmodi globulis composita. In animalibus frigidis saepius apparent figurae oualis, in homine vero reliquisque animalibus calidis semper rotundae. Globuli sanguinei videntur compositi ex massa viscida oleosa gelatinosa; pellicula autem eos inuestiens, a nonnullis assumta, vere non adest, quod multa ratiocinia et experimenta probant. Praeter has autem partes alia ipsis insunt principia, speciatim terra, quae cum phlogisto coniuncta a magnete attrahitur. Figura sphaerica essentialis est, neque a solo motu et impulsu in vasis producitur. Experimentis his nostri Auctoris respondent ea, quae Cl. ALPHONSUS GUADAGNI, physicae experimentalis in Academia Pisana Professor, fecit. Denique Noster promittit, se propediem nouas obseruationes de determinanda magnitudine absoluta globulorum sanguinis, de varia eorum in variis animalibus figura ac celeritate, et de pluribus aliis, ad circulationis historiam spectantibus, nobiscum communicaturum.

p. 40.

VII.

Dell' azione del cuore ne' vasi sanguigni nuove osservazioni dell' Abate SPALLANZANI, Sacerdote della Congregazione della B. Vergine, e S. Carlo di Modena, Professore di Filosofia nell' Università, e Collegio de' Nobili, e Membro della Società Reale di Londra. In Modena 1768. Nella stamperia di Giovanni Montanari. 8. mai. pagg. 71. cum dedicatione.

i. e.

Obseruationes nouae de actione cordis in vasa sanguifera, Auctore Cl. SPALLANZANI.

Opus hoc in forma epistolari ad Ill. HALLERUM directum est, sistens obseruationes, ad normam earum factas, quas hic ipse in libro de motu sanguinis in animalibus proposuerat. Cum autem ex animalibus frigidis HALLERUS bufones tantum, et ranas examini suo subiecisset, his Cl. p. 8.
Auctor salamandram aquaticam substituit, neque ad solum mesenterium, sed ad integrum systema vasorum respexit, spe facta, se continuatas huius generis obseruationes alio tempore communicaturum.
Vsus est apparatu anatomico, a Cl. LYONNET de- p. 9.
scripto, sed elaboratiori; luce reflexa tantum, non refracta, et quidem, vbi fieri poterat, solari in camera obscura, aut, vbi debilior illa erat, fortiori reddita per lentem aut reflexionem speculi vstorii. Situs animalis examinandi semper supinus fuit. Reiicit consuetum modum contemplandi mesenterium, quo istud prius expandendum est, ideoque in statu naturali conspici nequit. Neque aliud vmquam vasorum genus vidit, quam sanguifera. Sed pro-

grediamur ad tractationem ipſam, quae in ſex capitibus actionem cordis in vaſa arterioſa maxima, media et minima, tumque in venoſa minima, media et maxima declarat.

p. 15. Aperto pectore pericardium, quam maxime tenue cordis motum viuidiſſimum oſtendit: hoc autem, cum pericardio includitur, non adeo inſigniter in diaſtole ſe attollit, quam eodem diſſecto; in priori etiam caſu aſcendens lineam curuam a ſiniſtro verſus dextrum latus deſcribit, in poſteriori autem perpendiculariter aſcendit. Differentiam ſpatii, quod a corde in ſumma eleuatione et deſcenſu per diaſtolen et ſyſtolen efficitur, vnius lineae Noſter inuenit: differt autem haec menſura pro vario gradu motus aucti vel imminuti. Liquorem pericardii in 150 ſalamandris ſemper praeſentem conſpexit. Sanguis, in auriculam influens, ob copiam colorem rubicundiorem offert; inde vno momento in cor tranſpellitur, quo extenſo, auricula concidit: pari etiam modo tranſitus fit ex corde in aortam. Momentum collapſus in auricula breuius eſt, quam extenſionis eiusdem: color tamen eiusdem ſemper rubicundior, quam cordis, ſi hoc contrahitur prolixe. Deſcribitur progreſſus arteriae aortae: nos tantum hic notamus, non vno momento ſanguinem omnem in eam impelli, adeo, vt ſucceſſiua diaſtole et ſyſtole motibus cordis reſpondeat. Si animal diu iam excruciatum fuit, ſunt momenta, in quibus vas hoc omnino ſanguine vacuum eſt: quare et in ſtatu naturali curſus ſanguinis non continuus, ſed interruptus eſſe videtur. Neque in vniuerſum omnes arteriae dici poſſunt, figurae conicae eſſe, ſed ſunt etiam cylindricae, quod in ſpecie de ramis vaſorum pulmonalium ac meſenterii affirmatur.

p. 18.

Motus

Motus hic, ſi viuidum eſt animal, aequaliter peragitur, neque adeo interrumpitur, vt in vaſis maioribus: at, iſto debilitato, ſanguis lentius in diaſtole, celerius in ſyſtole, accedente noua eius vnda, mouetur; tandem in diaſtole motus prorſus fere ceſſat, imo ſanguis in arteria refluit, et ſyſtole demum rurſus propellitur: quem fluxum atque refluxum Noſter *motum oſcillatorium* dicit. Sin autem animal ſe contorquet vehementiusque agitat, aut impedimenta quaecumque, libero motui oppoſita, remouentur, rurſus ceſſat motus hic oſcillatorius, et progreſſiuus reſtituitur. Oſcillatio haec in meſenterio ſimul in trunco arterioſo eiusque ramis obſeruatur, in pulmonibus autem in arteriolis minimis incipiens, ad ramos demum maiores progreditur. In toto meſenterio motus ſanguinis aequaliſſimus eſt, neque gyrationes vaſorum eum retardant, neque ſanguini ipſi motum rotatorium aut inteſtinum comparant. Aer in ſanguine nullus ſe oſtendit, niſi, ruptis aut attenuatis vaſis, per ea ſe inſinuauerit, et tum globulos ſanguineis longe maiores format. Aneuryſmata vel oualis vel ſphaericae figurae Cl. Auctor vidit, et nonnumquam ſub ipſa inſpectione mire aucta, cognouitque, ſanguinem, in ea ingreſſum, nonnihil velocitatis perdere, coloremque multo rubicundiorem ſiſtere, quem iterum maiori eius coaceruationi adſcribit. p. 25.

Arteriae minimae ſiue capillares, vbiuis fere in corpore obuiae, non omnes adeo exiguae ſunt, vt vnum tantum globulum tranſmittant. Sunt etiam quaedam ex iis, quae in venas non tranſeunt, ſed in partibus diuerſis extenſae vel inter eas abſconditae euaneſcunt. Sanguis in iis paullum tantum tardius, quam in vaſis mediis arterioſis, mouetur, ne ipſis quidem arteriolis cutaneis exceptis: ſub continuatis tamen animalis cruciatibus motus oſcil- p. 32.

latorius, ſupra deſcriptus, hic prius, quam in vaſis mediis, deprehenditur, ideoque citius etiam in iis motus omnis ceſſat, habita tamen ratione ſtructurae partium ipſarum organicarum. Maiorem vel minorem a corde diſtantiam hic aliquid conferre, vero quidem ſimile videtur, ſed nondum plane liquet. Pariter nondum patet, an facilior exſiccatio vaſculorum minimorum hic in cenſum vocanda ſit. Globuli ſanguinei, in his vaſis cuiuscumque diametri et magnitudinis moti, alii fluido inuiſibili innatant, quod iam HALLERUS perſpexerat, noſtrique Au-
p. 37. ctoris obſeruationes denuo confirmant. Color eorum ſub luce refracta pro ratione congeriei ipſorum varius eſt: in minimis vaſis albeſcens et lucidus; in parum maioribus paullo flaueſcens, leuiſſima, nebulae quaſi ad inſtar, rubedine obductus; inde, crescente vaſorum magnitudine, ſenſim ſenſimque fatuntius ruber. Reflexa autem luce adhibita, omnes globuli rubicundi apparent, quamquam maior eo-
p. 38. rum copia intenſiorem omnino rubedinem efficit: ex quo patet error eorum, qui vaſa ſeroſa et lymphatica, diſtincta a ſanguiferis, ſe conſpexiſſe putant. Figura globulorum maiorum non eſt rotunda, ſed fere oualis, ſphaerae nempe elongatae ſimilis, ſed in medio paulo craſſior. Eſt autem ſpecies alia minorum, vix ad dimidiam priorum magnitudinem accedentium, numero quoque pauciorum, qui ſphaericae figurae ſunt propiores. Num globuli figuram mutare poſſint, HALLERUS nequiuit definire; FONTANA, vti ſupra in recenſendo eius ſcripto monuimus, hoc in vaſis pulmonalibus ranarum vidit, et Noſter in vaſis branchiarum ſalamandrarum iuniorum conſpexit, vbi vaſa angulum acutiſſimum formant, flexiſſe ſe globulos figuramque ſemilunarem aſſumſiſſe, neque, niſi ſuperato hoc angulo, priſtinam rurſus figuram acquiſiuiſſe. In tranſitu

ſitu etiam variorum animalium globulos ſanguineos varia gaudere figura, neque ergo ab vno ad alterum concludi poſſe, monet.

Tranſimus nunc ad ſyſtema venoſum. Principia venarum, neque in ranarum meſenterio HALLERUS, neque Noſter in ſalamandris vidit, quippe qui arterias ſatis adhuc magnas ad ſuperficiem inteſtinorum ferri, ibidemque mirandum in modum diviſas in venas abire conſpexit. Vti etiam arterias quasdam euaneſcere quaſi ſupra indicauerat, ſic etiam iisdem ex locis venularum principia emergunt. Relatio diametri globulorum ad diametrum horum vaſorum minimorum ea eſt, vt globulus absque notabili frictione parietum vaſis celeriter decurrat, quamquam diſtantia illius a pariete ipſo menſurari ob exilitatem nequit. Venas etiam minimas motui cordis ſubiectas eſſe, capta in animalibus viuidis experimenta docuere, in quibus, donec vigor iſte durabat, nullum diſcrimen inter velocitatem ſanguinis in arteriolis venisque minimis conſpici poterat: ligata etiam aut compreſſa aorta motus omnis ſubito ceſſabat, reſtitutus, quam primum aorta rurſus libera reddita fuerat. Verum motus hic in venulis prius langueſcit, quam in arteriolis. Cruorem in truncis venarum maiori celeritate, quam in ipſorum ramulis, moueri tunc demum patet, quum plures eiusmodi venulae confluunt, non aeque in paucioribus tantum concurrentibus: imo hanc differentiam etiam in pluribus arteriolis minimis, in vnum truncum venoſum vnitis, Cl. Auctor vidit. Obſeruatio HALLERI, ſi venula minor inſeratur in truncum multo maioris diametri, celeritatem ſanguinis in hoc adeo magnam eſſe, vt ingreſſum ſanguinis ex minore canali cohibeat, peculiari exemplo confirmatur venularum minorum, ſuper aortam ſerpentium, tandemque

p. 44.

p. 53.

demque in trunculum exiguum confluentium, qui poſtea venae cauae immerſus ſanguinem vtrumque facile a ſe inuicem diſtinguendum offert. In vaſis coronariis cordis nonniſi difficulter motus ſanguinis detegitur, isque, contracto corde, celerior, hoc autem dilatato, languidior, quamquam vtrum haec vaſa arterioſa ſint, an venoſa, nondum definiri potuit.

p. 58. In vaſis venoſis mediis, meſentericis nimirum ac pulmonalibus, monet Auctor ſe nullum diſcrimen inter ſanguinem venoſum et arterioſum inuenisſe, ſi vtriusque generis vaſa eiuſdem diametri fuerint: cauſſa ergo mutati coloris iterum ad aggregationem globulorum redit. In meſenterio venae et numero plures et diametro maiores ſunt arteriis: circulatio autem, ſi viget animal, eadem eſt, niſi quod impulſus cordis in venis non perſentiſcatur. Neque etiam inflexiones et anguli venarum eam retar-

p. 60. dant. Summa autem celeritas conſpicitur in trunco venae pulmonalis, quippe quae celeritatem reliquarum venarum mediarum ad duas tertias ſuperat. Num ſanguis in axe venae velocius, quam ad latera eiusdem moueatur, non poteſt diſquiri, quam diu circulatio adhuc vegeta eſt: hac vero langueſcente, prius dilucide cognoſcitur. Vti, retardato vel ſublato prorſus motu, ſanguis in arteriis non coaceruatur, ſed eodem, quo progreſſus fuerat, ordine ſubſiſtit: ſic idem etiam fit in venis. Obſtaculo quodam, liberiorem curſum impediente, iſte eo in loco acceleratur, donec illud ſuperatum fuerit, facile etiam eſt, producere globulum aeris elaſtici in ſanguine, ſi vena leuiter tantum volſellae apice irritatur, quod in meſenterio et inteſtinis ſaepius vidit Cl. Auctor.

Ex capite vltimo de vaſis venoſis maximis, id eſt,

p. 68. vena caua ſuperiore et inferiore, hic tantum notamus, celeritatem ſanguinis in iis non eſſe maiorem, quam

quam in venis mediis. In ſuperiore ſanguis prope cor non aequaliter mouetur, ſed in hoc vndis alternis ingreditur. Pulſatio vtriusque cauae pro ratione magnitudinis eius diuerſa eſt. Effectus inſertionis minorum venularum in alias multo maiores et aſſertum de celeritate ſanguinis, angulis vaſorum non imminuenda, hic nouis exemplis illuſtrantur.

VIII.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences. Année 1764 avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique, pour la même Année, tirés des Regiſtres de cette Academie. à Paris de l'Imprimerie Royale 1767. 4. Alph. 3. pl. 4. tab. aen. 16. Année 1765. ibid. 1768. Alph. 3. pl. 15. tab. aen. 18.

i. e.

Hiſtoria Academiae Regiae ſcientiarum ad annum 1764 et 1765, cum commentariis mathematicis et phyſicis.

Ex *obſeruationibus* ad *phyſicam generalem* ſpectanti- a. 1764.
bus voluminis, quod ad annum 1764 pertinet, p. 32.
ſequentia notanda ſunt: 1) tubum hydraulicum (*trompe de mer*) etiam in Sequana fluuio obſeruatum eſſe. 2) Muſtelam martem vulneraſſe infantem, in cunis iacentem. 3) Fluuium, qui (vel potius vapor eius) flamma admota, accenditur, de quo alio loco expoſitum eſt*), proprietatem hanc habere a ferri minera, quae in terra, quam percurrit, copioſe reperitur. 4) Patinam ex argento deaurato confectam, quae per aliquod tempus in cloaca latuerat,

*) vid. Hiſtoire de l'Acad. 1741. pag. 36.

erat, mire corruptam, et argentum in ſpeciem minerae argenti, ſulphure mineraliſati, mutatum fuiſſe. 5) In Comitatu Ruſcinocenſi anno 1763 varia flumina, nulla pluuia praecedente, ſubito ex alueo ſuo prorupuiſſe, et vicinos agros inundaſſe, quam inundationem ex terrae motu originem duxiſſe, probabile eſt.

p. 62. In *obſeruationibus anatomicis* continetur: Cl. MORAND filii *de nanis* relatio, in quo primum varia de nano Regis STANISLAI *bebe* dicto narrantur, qui viceſimo tertio aetatis anno, ſenili quaſi marasmo confectus, obiit. Longitudo corporis eius triginta tres pollices tantum aequabat, paucaque animae rationalis ſigna dabat. Alius vero nanus, ex nobili Poloniae ſtirpe ortus, viginti octo tantum pollices longus, optimo praeditus ingenio erat, variasque linguas callebat. His in vniuerſum propoſitis, monet Cl. MORAND, duas nanorum ſpecies reperiri. Alii enim rhachitici ex membrorum diſtorſione paruam tantum ſtaturam acquirunt et diſformes ſunt, in aliis vero, qui longe rariores occurrunt, omnia membra iuſtam inter ſe proportionem habent; atque ad hanc ſpeciem STANISLAI Regis nanus et nobilis ille Polonus referendi ſunt. Monet quoque Cl. Auctor, nonnunquam ex rhachitide capitis magnitudinem morboſe ita augeri, vt crania eiusmodi gigantum potius, quam nanorum capita referant *). Tale vidit Cl. Auctor in coemeterio effoſſum, quod 26 pollices in ambitu ſuo aequabat.

p. 71. In *obſeruationibus anatomicis variis* notatur: ex hernia incarcerata exulcerata varios exiiſſe vermes: fetum duplicem, in abdomine et pectore connatum, Cl. OUCHET Academiae obtuliſſe, cuius tamen ſectio deſideratur: in ouibus, vertigine correptis, poſt mortem varios vermes in ſinubus frontalibus repertos eſſe cet. Cl. DE

*) vid. Ill. HALLERI Elem. Phyſ. Tom. VIII. p. 42.

DE CHAIGNEBRUN varios quoque morbos deſcribit in locis paludoſis prouinciae Briae dictae in hominibus animalibusque ortos.

Ex *botanicis* notamus, Cl. ADANSON hordei etiam ſpicam ramoſam tritico ramoſo ſimilem reperiiſſe, ſeminaque ſeruiſſe, quo appareat, vtrum hordeum hoc noua ſpecies, an varietas ſponte nata ſit. p. 77.

Sequentes commentarii ad annum 1764 pertinent:

1. *Obſeruationes geographicae comparationem inſulae* de France *et* de Bourbon *ſiſtentes.* Auctore Cl. BUACHE. p. 1.

2. *Additamenta ad calculos eclipſis ſolaris*, d. 1. apr. 1764. Auctore Cl. LE MONNIER. p. 7.

3. *Commentarius de euaporatione aquae ſalſae*, Auctore Ill. DE HALLER. Vſitata ſalem coquendi ratio, qua aqua ſalſa in domibus gradatoriis condenſata, ope ignis euaporatur, Ill. HALLERO, qui ſalinarum Bernenſium tunc temporis curam quoque in ſe ſuſceperat, valde diſplicuit. Sollicitus igitur de noua via inueſtiganda, multa tentamina inſtituit, et primum glaciem ad aquam ſalſam applicavit, vt congelatione eam condenſaret, deinde eam in vaſis cauis per aliquod tempus repoſuit, vt ſal, in ea contentum, in fundo vaſorum ſubſideret. Quae cum haud ex voto procederent, cogitauit de aqua ſalſa calore ſolis euaporanda, ductus obſeruatione, quam relatam legerat, ad mare, praeſertim in calidioribus terris, ſcopulos ſale ex aqua marina per ſolis calorem cocto obduci. Hunc in finem cum experientiam conſuluiſſet, non modo maiorem, quam vulgari via, ſalis copiam obtinuit, ſed et ſal multo praeſtantius, opacum, duriſſimum, communi aliquan- p. 9.

quantum grauius, odore violarum praeditum, quod multo minus aquam ex aëre attraheret, maiorem acidi copiam contineret, et figuram abſolute cubicam oſtenderet. Communicauit hoc commentario Ill. Auctor experimenta paene per ſex annos inſtituta, adiecitque tabulas, quae quantitatem exhalationis quotidianae conſpicuam reddunt, quae pro diverſa coeli tempeſtate vel citius vel tardius progreditur, per hiemem vero ob fractam ſolis vim plane non procedit.

p. 75. 4. *Diſquiſitiones nouae circa lentes opticas*, Auctore Cl. D'ALEMBERT.

p. 146. 5. *Obſeruatio eclipſis ſolis*, d. 1. april. 1764. Auctore Cl. LE MONNIER.

p. 159. 6. *Nouae methodi analyticae computandi eclipſes ſolares, occultationes ſtellarum fixarum et planetarum per lunam, et in vniuerſum quascunque huius ſideris obſeruationes ad locum e centro terrae viſum reducendi.* Commentarius primus, Auctore Cl. DE SÉJOUR.

p. 186. 7. *Commentarius de gradu caloris, quem homines et animalia ferre poſſunt*, Auctore Cl. TILLET. Cl. DU HAMEL et TILLET, Rupe Fucaldi (Rochefoucault) commorantes, viderunt puellas in furnum piſtorium intrare, ibidemque ligna diſponere et per quartam horae partem remanere, cum tamen thermometrum Reaumurianum in eo adſcenderet ad 130 gradus, ſiue potius, vt ex comparatione thermometri, quo vſi ſunt clariſſimi obſeruatores, cum ſpiritu vini praeparati, cum alio mercurio repleto eluceſcit ad 112 gradus, graduque huius thermometri 85 (qui gradum 112 thermometri Fahrenheitiani aequat) iam aqua ebulliat. Haec obſeruatio

tio, quae cum ſententia vulgo recepta, homines ſcilicet in aere, ſanguine calidiore, non viuere poſſe, minus conuenit, Cl. TILLET occaſionem dedit, in hanc rem vlterius inquirendi. Ex experimentis vero, ab eo ſollicite cum variis animalibus factis et cum experimentis, quae a BOERHAAVIO inſtituta ſunt*) in camera, qua panes ſaccharini exſiccantur, comparatis, patet, animalia longe maiorem gradum caloris perferre poſſe, inprimis ſi linteis ita obvoluta ſint, ne externus calor iis adeo noceat. Hinc iudicat Noſter ſubitam corruptionem, qua in BOERHAAVII experimento canis, eiusmodi camerae incluſus, affectus eſt, ortam eſſe a ſingulari quadam morboſa animalis huius diſpoſitione, et in vniverſum aerem harum camerarum nociua aliqua qualitate, animalia citius necante, infectum eſſe.

8. *Hiſtoria morbi feminae cuiusdam, cuius membra breui tempore ſingulari modo diſtorta facta ſunt.* Auctore Cl. MORAND filio. Femina haec triginta ſex annorum variis leuioribus ophthalmiis, imo dolore in genu articulo laborauerat, ceterum vero egregie valebat. Duos quoque fetus felici partu edebat. In altero tamen puerperio mammae lacte quidem turgeſcebant, nullum vero lac ex iis profluebat. Hinc die nono horrore et cephalalgia corripiebatur, genua turgeſcebant, vomitusque lacteus ſubſequebatur. Genuum vero dolor et tumor non minuebantur. Tandem, variis ab empirico quodam abhibitis remediis, tumor quidem diſſipatus eſt, ſed miſera omnium membrorum vſum, ſcapulae motu excepto, perdidit, atque perpetuis iam per vndecim annos doloribus infeſtatur, videndi facultatem amiſit, p. 206.

*) vid. Chem. T. I. p. 275. Confer etiam Ill. HALLERUM Elem. Phyſ. T. II. p. 32. ſeq.

amiſit, membraque eius ſenſim ſenſimque ſingulari ratione, quae hic icone illuſtratur, diſtorta facta ſunt. Vnguium quoque longitudo mirum in modum aucta eſt, variisque aliis morbis, ab acrimonia humorum prouenientibus, moleſtatur. Ceterum vero ſatis valet *).

p. 215. 9. *Nouae methodi analyticae computandi eclipſes ſolares* (vid. ſup. p. 159.) *Commentarius* II. Auctore Cl. DE SEJOUR.

p. 251. 10. *Commentarius de lentibus obiectiuis*, Auctore Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY.

p. 262. 11. *Commentarius de longitudine et latitudine vrbis* Pekin *in* China, Auctore Cl. PINGRE.

p. 273. 12. *Commentarius de eclipſi ſolis*, d. 1. apr. 1764. Auctore Cl. BAILLY.

p. 277. 13. *Obſeruationes aſtronomicae* Noslonii *propter vrbem* Sens *factae* a S. R. E. Purpurato DE LUYNES et Cl. BAILLY.

p. 284. 14. *Obſeruatio eclipſis lunae*, d. 17. martii 1764. Auctore Cl. PINGRE.

p. 288. 15. *Diſquiſitiones de gradu aequationum reſultantium ex eliminatione incognitarum, et de mediis ad has aequationes inueniendas applicandis*, Auctore Cl. DE ZOUT.

16. Com-

*) Summam hic morbus cum morbo feminae *Soupir* analogiam habet, qui etiam poſt puerperium ortus fuerat, vid. Phil. transact. 1753. p. 23. Mém. de l'Acad. de Paris. a. 1753. p. 541. ſeq. Comm. noſtr. Vol. IV. p. 384. Vol. V. p. 137. et VII. p. 279.

16. *Commentarius circa obſeruationem tranſitus Veneris per diſcum ſolis* Seleginskii *in* Sibiria *inſtitutam*, Auctore Cl. PINGRE. p. 339.

17. *Ephemerides cometae* a. 1764. Auctore EODEM. p. 344.

18. *Commentarius circa longitudinem vrbis* Polling, Auctore Cl. BAILLY. p. 348.

19. *Calculus eclipſis ſolis*, d. 1. apr. 1764. Auctore Cl. CASSINI DE THURY. p. 351.

20. *Obſeruationes circa Mercurium factae in obſeruatorio Regio* menſ. mai. 1764. *pluriumque eclipſium ſatellitum Iouis* ab a. 1760. ad 1764. Auctore Cl. CHAPPE D'AUTEROCHE. p. 353.

21. *Commentarius de parallaxi lunae in hypotheſi telluris circa polos compreſſae*, Auctore Cl. PINGRE. p. 362.

22. *Diſquiſitiones circa naturam calculorum, qui in hominibus et animalibus formantur.* Commentarius primus, Auctore Cl. TENON. p. 374.

Cl. Auctor, calculos in hominibus animalibusque accuratius diſquirens, cognouit, eos ex duplici parte conſtare, terrea ſcilicet et gelatinoſa, acidis non facile ſolubili, qua figura calculi quaſi delineatur. Albi calculi facillime in acido nitri ſoluuntur, flaueſcentes non aeque facile, bruni autem ab iis minime mutantur. Nec acidum vitriolicum omnium calculorum menſtruum eſt, vel eos perfecte ſoluit, ſed eos magis deſtruit, ipſamque gelatinoſam eorum fabricam in ſpeciem, muci albumini ſimilem, mutat. Balarucenſes aquae calculos albos et flaueſcentes in mucum limpidum albuminoſum diſſoluunt, brunos vero non

attingunt. Quodſi vero eiusmodi calculi in aqua ebulliente per quinque vel ſex horas detinentur, tunc, extractis vnguinoſis et oleoſis partibus, aqua Balarucenſi cedunt, atque ipſius quoque acidi nitroſi ope gelatinoſa eorum fabrica detegitur. In vniuerſum vero haec fabrica in diuerſis calculis differt, cum vel orbicularia ſtrata efformet, quod v. c. in calculis veſicae animaduertitur, vel ſemiorbicularia, vt in cancrorum lapidibus, vel ſpongioſam fabricam ſiſtat. Priores duas ſpecies aqua et ſpiritus vini firmant, tepida vero emollit. Lithontriptica autem in vniuerſum vel terram ſoluunt, vel gelatinoſam fabricam emolliunt, vel vnctuoſas et pingues partes extrahunt et ita cohaeſionem reliquarum partium minuunt. Vlteriora experimenta in ſequentibus commentariis ſe communicaturum eſſe, Cl. Auctor pollicetur.

p. 390. 23. *Animaduerſiones in obſeruationes lunae* a Cl. DE LA CAILLE *vulgatas*, Auctore Cl. CASSINI DE THURY.

p. 408. 24. *Commentarius de comparatis tonitrus et electricitatis effectibus; adiunctis meditationibus quibusdam de mediis ſe aduerſus priores tuendi*, Auctore Cl. NOLLET. Cel. Auctor ſimilitudinem tonitrus et electricitatis ex paribus, quos producunt, effectibus demonſtrare conatur. Nube, in qua materia electrica frictione excitata eſt, tanquam conductore conſiderata, fulmina nihil aliud eſſe putat, quam ſcintillas electricas, appropinquante alio corpore, ex conductore prouenientes. Tonitru comparat cum ſonitu ſcintillae electricae, a quo non niſi vehementia differt. Illuſtrantur haec et confirmantur per partes, adhibito ad comparandum experimentorum auxilio. Secunda commentarii pars verſatur in explicandis

candis iis tempeſtatum effectibus, qui in hominibus fulmine tactis, aedificiis incenſis, arboribus diffiſſis cet. ſe produnt; quae omnia quemadmodum electricitatis ope fieri poſſint, clare oſtenditur. Vltimum locum occupant meditationes de ratione, oborta tempeſtate, a periculo ſe defendendi. Loca, montibus incluſa, aedificia altius vicinis eminentia et multo metallo aut inaurato ligno ornata, vbi magna multitudo hominum conuenire ſolet, vt templa, eorumque turres et campanas, theatra, naues etiam in mari iactatas, fulminibus prae ceteris credit obnoxias. Suadet iis, qui tutius a fulmine eſſe cupiunt, ne corpus muro acclinent, aut ſub dio arboris tegmini ſe confidant, ſed potius in loca ſubterranea deſcendant, ſiue hoc nolint, feneſtras claudant, ſericeis veſtibus ſe induant, verum non auro aut argento intextis, aut, ſi nimius timor fuerit, vitreis vaſibus ſe includant.

25. *Commentarius de epiplocele, cuius ſigna in-* p. 452.
itio valde dubia erant. Auctore Cl. TENON. Vir quidam ſine cauſſa euidenti ſubito tumore afficiebatur in inguine dextro nato. Vndecimo, poſt eius ortum, die ſuperficies eius inaequalis erat variaque tubercula dura, magnitudine nucis auellanae, tactu diſtingui poterant. Ipſe tumor cuti firmiter adhaerere videbatur, nec reduci poterat, ita vt nulla ſigna herniae recentis oſtenderet. Erat tamen hernia et quidem omenti. Hic enim vir, puer adhuc, hernia laborauerat inguinali, poſt cuius repoſitionem pars quaedam omenti, extra annulum remanens, annulo accreuit eiusque aperturam clauſit, adhaeſione vero hac rupta, aliae partes proruperunt. Variis incaſſum tentatis remediis, tandem tumor in ſuppurationem abiit omentique pars prorupta ferro, ligatura, ſuppuratione ſenſim conſumta eſt.

p. 457. 26. *Commentarius ſuper inundationibus* Sequnae Pariſiis *obſeruatis.* Auctore Cl. DEPARCIEUX

p. 487. 27. *Elementa cometae a.* 1764. et 1765. Auctore Cl. PINGRE.

p. 489. 28. *Meditationes ſuper formulis* Cl. EULERI *de parallaxibus*, Auctore Cl. LE MONNIER.

p. 490. 29. *Comparatio latitudinis praecipuarum Galliae vrbium, per obſeruationes aſtronomicas membrorum Academiae determinatae cum ea, quae ope triangulorum obtinetur*, Auctore Cl. CASSINI DE THURY.

p. 492. 30. *Commentarius de foſſilibus agri Pariſienſi tertius*, Auctore Cl. GUETTARD. Corpora, in primis marina foſſilia, ibidem reperiunda, deſcribit. Belemnitas nucleum credit eſſe conchae cuiusdam
p. 504. vel tubuli marini, radiatamque eorum fabricam non, vti Cl. DE LA TOURETTE opinatur *), a ſtructura corporis animalis, quod ille polypum durum et oſſeum fuiſſe putat, pendere, ſed radios hos in iis tantum belemnitis obſeruari docet, qui in ſpathum vel pyritem mutati ſunt, quae lapidum genera fere
p. 507. ſemper radiis eiusmodi componuntur. Aſſerit quoque Cl. GUETTARD, ſe reperiſſe belemnitas, teſta bivalui tenuiſſima, ex duabus laminis compoſita, oductos, atque in vniuerſum belemnitas tubulis marinis affines eſſe, variis argumentis probat. Alueoli vero ſic dicti belemnitarum opercula ei eſſe videntur. Inter reliqua petrefacta, hoc commentario deſcripta, nonnulla quoque occurrunt, quorum ectypus adhuc incognitus eſt, et quae forte ad pennas marinas vel ad meduſas, vti nobis videtur, pertinent.

31. *Ob-*

*) vid. Cl. BERTRAND Dict. des foſſil. T. I. p. 71.

31. *Obſeruationes botanico meteorologicae in ar* p. 526.
te Denainvilliers a Cl. DU HAMEL *factae* a. 1763.

32. *Obſeruationes macularum et librationis lunae* p. 555.
ad probandum motum nodi aequatoris lunaris, Auctore Cl. DE LA LANDE.

33. *Commentarius de diuerſo ſitu foraminis ma-* p. 568.
gni oſſis occipitis in hominibus et animalibus, Auctore Cl. DAUBENTON. In homine hoc foramen fere in media caluae baſi collocatum eſt, tantumque a parte poſteriore occipitis, quantum a parte anteriore maxillae inferioris diſtat, planumque marginum eius cum linea, ex centro huius foraminis ad inferiorem partem orbitae ducta, vix angulum trium graduum format. In quadrupedibus contra, piſcibus, et amphibiis reptilibus v. c. bufone, in poſteriore cranii parte collocatur, planumque eius cum linea, ex centro eius ad inferiorem orbitae partem ducta, angulum rectum efficit. Cauſſa huius differentiae poſita eſt in erecto ſitu hominis et in eo, quod nunquam ore terram tangere debeat, cum contra animalia cibum ore ex terra capiant. Hinc quoque ea animalia, quae erecto corpore nonnunquam ingrediuntur, vt ſimiae etc. magis ad humanam fabricam accedunt.

34. *Commentarius de ratione alcali fixum tarta-* p. 576.
ri (ſal tartari) *cryſtalliſandi*, Auctore Cl. MONTET, Socio Societatis regiae Montispeſſulanae. Notum eſt, plurimos chemicorum negare, ſal fixum tartari vnquam in cryſtallos cogi poſſe. Hoc tamen fieri nonnunquam Cl. Auctor iam a 1761 obſeruauit repetitisque experimentis cognouit, omnia ſalia alcalina fixa in cryſtallos abire, ſi magna huius ſalis copia euaporetur, alcali purum ſit, et cryſtalliſatio inſtituatur in

vaſe amplo non admodum profundo. Primo ignem adhibet, ſique pellicula formari incipit, leni tantum calore reliquam euaporationem peragit, ſicque fere ſemper cryſtallos obtinet. Cryſtalli ſpiculis hexaedris conſtant vel columnis ſexangularibus ſolidis.

1765. p. 22. Iam ad volumen, quod ad annum 1765 pertinet, accedimus. In *obſeruationibus phyſicis* continetur, 1) aegagropilae deſcriptio, quae non rotundam figuram habebat, ſed facieculas politas quinquangulares in ſuperficie oſtendebat. Durior quoque erat, quam vulgo eſſe ſolent, lignique fruſtum continebat. 2) Toloſae d. 19. maii 1765. terrae motus obſeruatus eſt. 3) Varia remedia recenſentur, quibus in regno Neapolitano locuſtas, quae per aliquot annos varias huius regni prouincias deuaſtarunt, earumque oua deſtruxerunt. 4) In fago inſignis magnitudinis lapis ita incluſus eſt, vt pars eius adhuc promineat. Sine dubio lapis ille, in tumulo terrae conſtitutus, in rimam arboris iunioris penetrauit et a fibris ligneis incluſus eſt; ſicque, terra per pluuiam ablata, libere ſuſpenſus remanſit. 5) Cl. RIGAULT obſeruauit, acido nitroſo aquae marinae affuſo, vermiculos, qui nocturno tempore mare lucidum reddunt, conuelli et mox perire. Eundem effectum acidum etiam vitriolicum habet, acidum vero ſalis communis et acetum idem quoque, ſed longe debilius, efficiunt. Alcalia etiam vermiculos necant, ſed tardius, nec alcalia vermiculos, ab acidis enecatos, in vitam reſtituere poſſunt. 6) Hac occaſione commemoratur, ab affuſo ſpiritu nitri etiam anguillas, quae, microſcopii ope, in aceto obſeruantur, perire. 7) Cochlearum vulgarium *) opercula, qua hiemali tempore orificia teſtae claudunt, ex Cl. HERISSANT obſeruatione, non ex ſucco

*) Eſt *helix pomatia* LINN.

ſucco viſcoſo formantur, ſed duplici ſubſtantia conſtant, organica ſcilicet animali et terrea. Prior oritur ex ipſo animale, a cuius corpore, ſpecie membranae tenuiſſimae, ſecedit, in cuius poros deinde intra breue tempus terreae particulae accumulantur.

Obſeruationum anatomicarum ſumma haec eſt. p. 42.
1. In ora Britanniae minoris *teſtudo coriacea* LINN. quam nonnulli in Chinenſi mari tantum reperiri putarunt, capta eſt. 2. Virgo 58 annorum in atrophiam vniuerſalem tantamque debilitatem incidit, vt mumiam referret, nec membra mouere poſſet. Oſſa praeterea aegrae ita emollita ſunt, vt ex leuiſſimis quibuscunque cauſſis frangerentur, et intra anni ſpatium miſera vndecim eiusmodi fracturis, quae ob partium rigiditatem maximo tantum cum dolore reponi poterant, afficeretur. 3. Methodus deſcribitur, qua opium in viro, ſpaſticis affectionibus obnoxio, in clyſmatibus adhibitum eſt. Sumſit vero ille intra vndecim annos ad 300 libras laudani. Subito tandem ex morbo acuto periit, et in eius ſectione cerebrum iuſto durius, pulmoque dexter et pleura eiusdem lateris, multo ſanguine diſtenti ac foetidiſſimi, reperti ſunt. 4. In ſarcocele exſtirpata fragmenta oſſea, in albuginea tunica teſtis nata, deprehendebantur.

Obſeruatio chymica Cl. DE MACHY obſeruationes circa Cel. MARGGRAFII experimentum, quo alcali fixum in cremore tartari iam exiſtere probauit, continet *). p. 48. Obtinuit vero Cel. MARGGRAFIUS, cum cremorem tartari, quem, creta addita, ſolubilem, reddiderat et acidum nitri miſceret, cryſtallos, quae nitri cryſtallos perfecte referrent; ex qua re colligit, alcalia fixa ſine ignis actione produci aut potius ex corporibus, in quibus iam exiſtant, edu-

*) vide EIUSD. *chymiſche Schriften, zweyter Theil.* p. 49 ſeq. Mem. de l'Acad. de Berlin. 1764. p. 3. ſeq.

ci poſſe. Cl. vero DE MACHY docet, cryſtallos, quas MARGGRAFIUS nitrum eſſe putauerat, non nitrum eſſe verum, ſed tartari cremorem plane non mutatum, qui acido nitroſo baſin praebeat, cui adhaerere poſſit, et cuius figura a nitroſo acido pendeat.

Commentarii vero ſequentes in hoc volumine continentur.

p. 1. 1) *Diſquiſitio noua circa determinationem parallaxis ſolis per tranſitum veneris*, d. 6. iunii 1761. Auctore Cl. PINGRE.

p. 35. 2) *De circulatione ſanguinis in hepate fetus humani.* Commentatio ſecunda, Auctore Cl. BERTIN. Pergit Cl. Auctor in explicatione argumenti, de quo primam commentationem ante duodecim annos Academiae communicauit *). Deſcribuntur vero in hac altera parte venae hepaticae et inprimis anaſtomoſes, ad hunc diem nemini viſae, inter venam portae venamque vmbilicalem et venas hepaticas, quae lineae $\frac{1}{5}$ vel lineae vnam diametrum habent; atque ex hac deſcriptione varia conſectaria de circulo ſanguinis per hepar fetus et adulti deducuntur. Quamquam iniectio oſtendit, eiusmodi anaſtomoſes exiſtere, Cl. tamen Auctor primum veras communicationes inter vtramque venam, nudo oculo conſpicuas, vidit; quas enim nonnulli veterum **) pinxerunt enormes anaſtomoſes, cohaeſiones tantum ſunt ramorum vtriusque venae maiorum, ope
p. 37. telae celluloſae. Minores vero inter ramos cauae et

*) vid. Mem. de l'Acad. de Paris 1753. p. 323. ſeq. Comm. noſtr. Vol. VII. p. 270. Conf. Ill. HALLER Elem. T. VI. p. 483. ſeq.

**) Conſer HALLER. l. c. p. 500.

et venae portarum vel vmbilicalis anaſtomoſes Cl. Auctor vidit quinque vel ſex *), plures tamen adeſſe certum eſt. In fetu eumdem vſum habent, quem canalis venoſus praeſtat, cum ex venae vmbilicalis ramis oriantur; in adulto vero tranſitum ſanguinis venae portae per hepatis viſcus promouent, atque inprimis in hepatis obſtructionibus inſignem vſum praeſtant; vaſorum enim collateralium diametrum, trunco obſtructo, inſigniter augeri poſſe, ex eo patet, quod poſt aneuryſmatis in brachio operationem fit. Eo magis vero eiusmodi anaſtomoſes neceſſariae erant, quo difficilior in vniuerſum ſanguinis, a vena portarum allati, per hepatis viſcus tranſitus eſt. Atque in hoc ſolo difficiliore tranſitu Cl. Auctor cauſſam craſſitiei ſanguinis venae portarum ponit, qui alias, cum lienalis ſanguis aquoſior ſit, magisque reſolutus, et plures partes aquoſae a venis meſaraicis reſorbeantur, eamdem profecto fluiditatem haberet, qua aliarum venarum ſanguis gaudet.

3) *Diſquiſitio circa lentes opticas*, Auctore Cl. D'ALEMBERT. Comm. II. p. 53.

4) *De circulatione ſanguinis in hepate fetus humani*, commentatio tertia, Auctore Cl. BERTIN. p. 106.
Hoc commentario circulationis ſanguinis ratio ipſa explicatur, vaſis, quarum ope ea fit, prioribus commentariis iam deſcriptis. Refutantur primum variorum Auctorum ſententiae V. C. BIANCHI, MOR-

*) Hac occaſione Cl. Auctor monet, ſe nudo oculo anaſtomoſin inter arteriam bronchialem et venam oeſophageam a WINSLOVIO iam obſeruatam, nec non communicationem inter eamdem arteriam et venae pulmonalis ramum, tandemque inter arteriam radialem et venam radialem aliquoties vidiſſe.

MORGAGNI cet. tandemque motus ſanguinis a matre ad cor fetus per vaſa, quorum hiſtoriam primo commentario Cl. Auctor dedit *), ſequenti re-
p. III. tione explicatur. Ex placenta, ope venae vmbilicalis, ſanguis ad hepar fertur, quae vena, in ipſa concaua hepatis partē poſita, ſinum format, quem Cl. Auctor vmbilicalem vocat, quo nomine illam venae huius paullulum dilatatae **) partem intelligit, quae inter lobum anonymum et ſiniſtrum hepatis in proprio ſulco poſita eſt, et dextrorſum ſiniſtrorſumque ramos plures ad ipſam hepatis carnem emittit. Tandem in duos ramos diuiditur, quorum minor, qui ex trunci ſiue ſinus directione eſt, canalis venoſus ARANTII vocatur, et per foſſam ſibi paratam, in cauam vel venam hepaticam maiorem ad angulum acutum immittitur, maior vero dextrorſum ita inflectitur, vt in ſulco tranſuerſo hepatis, quem autem Cl. Auctor longitudinalem vocat, tandem cum vena portarum confluat, ex qua coniunctione dextri venae huius ramus oritur. Hinc ſanguis, per venam vmbilicalem allatus, partim per canalem venoſum ſtatim ad cauam tranſit, partim hepar, tum per proprios venae vmbilicalis ramos, tum per ramos, quos vena haec cum vena portarum communes habet, adit. Nec tamen omnis ad minima hepatis vaſcula venit, ſed aliqua eius portio iterum per anaſtomoſes, ſecundo commentario deſcriptas, ad venas hepaticas ſtatim tendit. Celerrimus vero eſt ſanguinis ex ſinu vmbilicali in ductum venoſum, ob eius directionem et inſertionem in venam cauam, progreſſus; cum multo lentius per ramum maiorem quidem, ſed lateralem fluat, vt itaque per venoſum ductum, licet minor ſit ramo tranſuerſo, maior tamen ſanguinis portio tranſeat. In vniuerſum autem

*) Confer. Comment. noſtr. Vol. VII. p. 271. ſeq.
**) HALLER Elem. Tom. VI. p. 480.

tem tres, quartas partes ſanguinis, quem hepar fetus accipit, per venam vmbilicalem adduci, Cl. Auctor probat. Poſt partum vero, vmbilicali funiculo diſciſſo, circulationis ſanguinis per hepar fetus ratio ita mutatur, vt vena portarum, quae quartam per nouem menſes ſanguinis hepatici partem attulerat, nunc vnica huius viſceris vena ſit, et per ramum communicantem venae vmbilicalis cum vena portae ſanguis, mutata directione, ad ſiniſtrum lobum fluat, vmbilicalis vena et ductus venoſus collabantur et concreſcant, ſinus vero vmbilicalis pars venae portae fiat, quamquam temporis ſucceſſu magnitudo eius ſenſim minuitur. Conſectaria varia phyſiologica omittimus. p. 136.

5) *Diſquiſitiones nouae circa cauſſam vniuerſalem caloris aeſtiui et frigoris hiemalis, quatenus ea cum calore interno et perpetuo telluris coniungitur.* Auctore Cl. DE MAIRAN. p. 143.

6) *Obſeruationes circa* Solfataram, *prope* Neapolim *ſitam*, Auctore Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY. Quamquam iam varii Auctores de hac Solfatara, quae vt reliquiae montis olim igniuomi conſiderari poteſt, et modo, quo ibidem alumen, ſulphur cet. praeparantur, egerunt *); plures tamen ab Auctore Cl. inſtitutae obſeruationes omnino dignae ſunt, quo ex iis nonnulla hic addamus, omiſſis, quae iam alio loco, inferius commemorato, adduximus. Accuratius inprimis Cl. Auctor modum, quo ſal ammoniacum natiuum ibidem obtinetur, et ipſum hoc ſal eiusque naturam examinavit. Sunt vero in medio vallis, quam *Solfataram* dicunt p. 267.

*) vid. Cl. NOLLET Mem. de l'Acad. 1750. p. 97. ſeq. Comm. noſtr. Vol. IV. p. 583. ſeq. vt Cl. MERCATUM, GEOFFROY etc. taceamus.

dicunt variae fiſſurae et cryptae, ex quibus perpetuo fumus adſcendit, ingrato odore ſulphureo praeditus, tuſſim excitans et coeruleorum florum colorem in rubrum mutans. Has fiſſuras obtegunt operarii variis teſtarum fragmentis, ſine vllo certo ordine ſibi inuicem impoſitis, quo vapor interſtitia eorum penetret, quod dum fit, ſal ammoniacus verus ſublimatus his teſtarum fragmentis adhaeret. Floccos format, colorem album luteſcentem oſtendit, qui tamen ab admixto ſulphure pendet, quod, dum ſal in aqua ſoluitur, ab eo ſecedit, atque in initio odorem ingratum acidi ſulphurei volatilis habet, quem tamen, breui tempore elapſo, amittit. Eſſe vero hoc ſal verum ſal ammoniacum, illo. quod in Aegypto paratur, ſimillimum, chemica, a Cl. Auctore inſtituta, experimenta probant. Nec difficile eſt alcali volatilis originem explicare, ſi modo attendimus, eiusmodi ſal in lithantracibus reperiri, et ſulphur volatile in adſcenſu ſuo ſalia aliaque corpora ſecum rapere et inter ſe combinare poſſe, quae alias minus volatilia eſſe ſoleant. Obtinetur quoque ex lapidibus, in *Solfatara* obuiis, ſi vi ignis ſubterranei calcinantur, et aqua deinde iis ſuperfunditur, aqua alumine impraegnata, quod cryſtalliſationis ope deinde ſeparatur. Et ſulphur quoque perficitur ibidem apparatu, a Cl. Auctore fuſius deſcripto.

p. 286. 7) *Nouae methodi analyticae computandi eclipſes ſolares.* Commentarius tertius, Auctore Cl. DE SEJOUR.

p. 361. 8) *Commentarius de ſingulari aberratione in motu Saturni obſeruata*, Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 376. 9) *Commentarius I de praeſenti ſtatu tabularum Iouis et de mutationibus, quibus indigent reſpectu praecipuo-*

cipuorum elementorum theoriae, Auctore Cl. JEAURAT.

10) *Obſeruationes de fodina lithantracum, quae iam per longum tempus ardet.* Fodina haec parum ab vrbe S. *Etienne en Fores* diſtat et, vti in multis aliis ſimilibus fodinis factum eſt, vel per incuriam, vel ſine vlla externa cauſſa ſponte incenſa eſt. Cl. Auctor hic varia phaenomena, quae in ea obſeruavit, deſcribit et remedia igni hoc ſubterraneo exſtinguendo apta, indicat, inter quod praecipuum eſt acceſſus aeris plenarie impeditus. p. 389.

11) *Obſeruationes aſtronomicae* ab a. 1760. ad a. 1764. factae a Cl. BAILLY. p. 396.

12) *Commentarius de mediis inſtrumenta aſtronomica vlterius perficiendi*, Auctore Sereniſſ. Duce DE CHAULNES. p. 411.

13) *Determinatio diſtantiae arcturi a limbo ſolari ſuperiore, ſolſtitio aeſtiuo* 1765. ab EODEM Seren. Duce et Cl. CASSINI inſtituta. p. 428.

14) *Comparatio altitudinum ſolſtitialium circa tropicum capricorni* a. 1762. et 1764. *factarum cum iis, quae* a. 1743. et 1744. *in obeliſco gnomonis S.* SULPITII *factae ſunt.* Auctore Cl. LE MONNIER. p. 432.

15) *Obſeruatio oppoſitionis Iouis et Solis* d. 4. ian. 1764. *et correctiones, quae in tabulis* Cl. CASSINI *fieri debent.* Auctore Cl. JEAURAT. p. 435.

16) *Commentatio de duratione ſenſationis viſus*, Auctore Cl. D'ARCY. Senſationem viſarum rerum p. 439.

rum haud esse momentaneam, sed earum imagines oculo per aliquod tempus obuersari, satis constat. Hac de caussa carbo ardens, sufficiente celeritate in orbem gyratus, igneum circulum repraesentat, quia carbo in eumdem locum redit, antequam imago eius, ibidem visi, ex oculo discessit. Huius experimenti, noctu instituti, ope Cl. Auctor tempus definivit, per quod ista visi carbonis sensatio animae inhaeret. Machina, qua vsus est, et tentamina copiose describuntur, tempusque, de quo dicimus, octo aut nouem minutorum tertiorum esse demonstratur, atque aliis etiam experimentis magis confirmatur. Addit et alias obseruationes, interdiu, lucente sole, factas, quarum tamen seriem ob tempestatis iniurias ad finem perducere haud potuit.

p. 452. 17) *Commentarius de duabus machinis ad comparandas diuersas frumenti aut fluidorum mensuras cum modio aut congio Parisiensi*, Auctore Cl. TILLET.

p. 460. 18) *Commentarius de vsu obseruatarum eclipsium solarium totalium et annularium et de vtilitate capienda ex eclipsi instante partiali* d. 16. aug. 1765. Auctore Cl. LE MONNIER.

p. 465. 19) *Commentarius de conditionibus ad obseruandas immersiones et emersiones secundi satellitis Iouis necessariis*, Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 476. 20) *Obseruatio eclipsis solis* d. 16. augusti 1765. *facta* Colombii a Cl. DE COURTENVAUX.

p. 480. 21) *Obseruatio de aneurysmate, quod singulares plane effectus produxit*, Auctore Cl. PETIT. In viro quodam 58 annorum oriebatur tumor in dextro colli latere, qui sensim magnitudinem oui columbini

ni acquirebat. Hunc aneuryſma eſſe pulſus, in eo percipiendus, oſtendebat, ſedem vero aneuryſmatis Cl. PETIT in trunco carotidis non longe a diuiſione eius eſſe coniiciebat. Accuratiore diaeta et venaeſectione adhibita, tumor minuebatur, aegri tamen frater, Cl. VIEILLARD, praedixit, tumorem penitus diſpariturum, arteriaeque cauo concreto, aegrum ſubito moriturum eſſe. Veram hanc prognoſin fuiſſe, euentus docuit. Tumor enim ſemper minor factus, tandemque in nodum durum, non pulſantem, mutatus eſt; aeger vero nullum incommodum ſenſit, niſi difficultatem aliquam in loquendo et maiorem ſaliuae in os affluxum. Poſt ſeptem tandem annos, vitae genere mutato, ſubito apoplexia periit. Sectione cadaueris inſtituta, ſatis magna copia ſanguinis in ventriculum ſuperiorem ſiniſtrum effuſa et fiſſura aliqua profunda et ampla in cerebro reperta eſt. Vaſa quoque omnia, in ſiniſtro capitis latere poſita, valde dilatata erant. In dextro vero latere eo loco, vbi aneuryſma fuerat, tumor, nuclei oliuae magnitudinem habens nullaque cauitate praeditus, deprehendebatur, tota autem carotis huius lateris concreta erat et in ortu ſuo ex ſubclaúia tumorem aneuryſmaticum, magnitudine nucis moſchatae, continebat. Addit Cl. Auctor explicationem eorum, quae in aegro hoc obſeruabantur, ſymptomatum, quam omittimus.

22) *Commentarius de variatione inclinationis orbitae ſecundi ſatellitis Iouis*, Auctore Cl. MARALDI. p. 491.

23) *Commentarius de cauſſa huius variationis*, Auctore Cl. BAILLY. p. 495.

24) *Continuatio hiſtoriae inoculationis variolarum.* Commentarius tertius ab anno 1758 ad annum p. 505.

num 1765. Auctore Cl. DE LA CONDAMINE. Enarrantur fata inſitionis in Gallia aliisque regionibus et controuerſiae circa praeſtantiam inſitionis aliasque res, huc ſpectantes, ortae. Cum praecipua ſcripta, quae huc pertinent, iam aliis locis enarrauerimus, reliqua vero proxime indicaturi ſimus, indicaſſe ſufficiat Cl. Auctorem, qui inter celeberrimos inſitionis defenſores referri debet, ex calculis hoc quoque in commentario vtilitatem inoculationis et periculum, quod a naturalibus variolis aegris immineat, cum ex ſeptem aegris vnus vt plurimum moritur, probare variasque obiectiones refutare.

p. 533. 25) *Commentarius de ſolutione vniuerſali aequationum cuiuscunque gradus*, Auctore Cl. BEZOUT.

p. 553. 26) *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 16. aug. 1765. Auctore Cl. LE MONNIER.

p. 555. 27) *Epitome theoriae generalis dioptricae*, Auctore Cl. EULER.

p. 576. 28) *Obſeruationes botanico meteorologicae in arce* Denainvilliers a. 1764. factae, Auctore Cl. DU HAMEL.

p. 605. 29) *Commentarius de mutatione inclinationis tertii ſatellitis Iouis*, Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 609. 30) *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 16. aug. 1765. *in obſeruatorio Regio facta* a Cl. CASSINI DE THURY.

p. 610. 31) *Obſeruatio eiusdem eclipſis*, a Cl. CHAPPE D'AUTEROCHE facta.

32) *Occul-*

32) *Occultatio duarum ſtellarum in cauda capricorni per lunam* d. 1. aug. 1765. Auctore Cl. PINGRE. p. 611.

33) *Adnotationes ſuper tritici ramoſi variis ſpeciebus et hordei ramoſi noua ſpecie.* Auctore Cl. ADANSON. Experimentis cum hordeo *) et aliis ramoſis cerealium ſpeciebus inſtitutis, cognouit, varietates tantum eſſe, quae non perpetuae ſint, ſed cultura mutentur. p. 613.

34) *Diſquiſitiones circa cauſſam pulſus arteriarum*, Auctore Cl. DE LAMURE, ſocio Societatis regiae Monspelienſis. Argumentis et experimentis Cl. Auctor probare tentat, cauſſam pulſus in arteriis tactu percipiendi non, vti fere omnes phyſiologi aſſumunt, in dilatatione arteriae a preſſione ſanguinis laterali poſitam eſſe, ſed arteriam in pulſu tantum loco ſuo moueri et motu hoc ſuo (*déplacement*) digitum explorantis ferire. Haec ſententia cum ea ſatis conuenit, quam WEITBRECHTUS olim **) propoſuit, licet Cl. Auctor in aliis ab eo differat. Recenſitis itaque aliorum phyſiologorum de cauſſa pulſus ſententiis, pluribus confirmat, preſſionem ſanguinis lateralem non eam dilatationem arteriae producere, quae oculo vel digito percipi poſſit. Cum enim diaſtole ad diametrum arteriae naturalem ſit, vti 1 ad 80, ea in aorta vix $\frac{1}{8}$, et in arteria inteſtinorum, cuius motum tamen conſpicere poſſumus, vix $\frac{1}{800}$ lineae erit. Addit, neminem phyſiologorum, qui arteriam in pulſu dilatari putent, hanc dilatationem vidiſſe, nec experimentum, in quo aqua, ſiphonis ope in arteriam pulſa, arteriam dilatari obſeruarunt, aliquid probare, cum p. 620.

*) vid. ſup. p. 255.

**) vid. Comment. Petropol. T. VII. p. 376. ſeq. Confer Ill. HALLER Elem. Phyſ. T. II. p. 238.

cor non percuſſione, ſed preſſione ſanguinem propellat. His propoſitis, Cl. LAMURE ſententiam ſuam variis experimentis vlterius confirmat. Arte-
p. 639. ria crurali duplici ligatura intercepta, inter has duas ligaturas pulſus percipitur, qui non a ſanguinis vnda, arteriam dilatante, oriri poteſt. Veremur tamen, ne percuſſio arteriae, a ſanguine, in partem arteriae ſupra ligaturam affluente, excitata, motus huius cauſſa forte fuerit, cum in aliis experimentis Cl. Auctor tremorem tantum aut nullum plane motum obſeruare potuerit. Cauſſa autem motus arteriarum omnium, qui pulſum efficit, in cordis motu poſita eſt, quod, vti notum eſt, in ſyſtole loco ſuo mouetur, coſtas apice ſuo ferit et ita pulſum cordis excitat, qui motus deinde arteriis omnibus ita communicatur, vt eodem temporis momento, quo cor ſitum ſuum mutat, omnes etiam arteriae moueantur et eleuentur. Arterias enim maiores quoque in pulſu eleuari et aortam cet. a ſpina dorſi recedere et attolli, experimenta inſtituta Cl. Auctorem docuerunt. Addit, vt alia omittamus, arterias oſſeſcentes, quae non dilatari poſſint, tamen pulſare, pulſum cordis non in diaſtole eius, ſed in ſyſtole fieri cet. aſſeritque, ſe, digito ſub aortam, quae in pulſu eleuabatur et a ſpina recedebat, inſerto, nullam in parte, quae ſpinam reſpiciebat, dilatationem percipere potuiſſe. Quo vero pulſus in arteria quadam fieri poſſit, ſemper requiritur, vt ea tonum habeat eum, qui actioni cordis ſufficienter reſiſtere poſſit, et qui ex influxu fluidi neruei pendeat; eo enim amiſſo et arteria flaccida reddita, nullus pulſus fit, vel mollior tantum percipitur. Hinc venae non pulſant, quia tono hoc carent, licet cum corde coniunctae ſint. Corde vero vehementius moto, etiam venas pulſare, obſeruationes in aſthmaticis
p. 660. cet. factis, docent. Addit tandem Cl. Auctor varia

ria corollaria physiologica et pathologica v. c.: ea omnia, quae de syſtole et diaſtole arteriarum, effectu earum in ſanguinem in ſanguificatione, de motu ſanguinis in venis, ex motu arteriarum pendente, cet. in physiologia proponuntur, valde dubia eſſe, motumque horum vaſorum, ſi exiſtat, adeo paruum eſſe, ne vnquam oculis conſpici poſſit; cauſſam p. 661. porro, cur in partibus inflammatis ſaepe pulſus auctus ſit, cordis et reliquarum arteriarum motu non aucto, in tenſione arteriarum partis inflammatae tonoque earum auctis poſitum eſſe; ſuppurationis mechaniſmum per alternum vaſorum motum non explicari poſſe; pulſum non ſemper virium cordis menſuram eſſe, vel ex eo ad quantitatem ſanguinis, per arteriam propulſi, concludi poſſe, cum pulſus, tenſione et tono arteriarum variatis, etiam variare queat. Phaenomenon quoque, in moribundis obſeruandum, in quibus pulſus in extremitatibus primum ceſſat, et haec ceſſatio ſenſim ad arterias cordi viciniores propagatur, ex tono arteriarum per influxum fluidi neruei, ſenſim ſublatum, explicat.

35) *De methodo omni tempore cryſtallos ſalis tartari conſeruandi*, Auctore Cl. MONTET. Continuatio eſt eorum, quae Cl. Auctor ſuperiore volumine *) propoſuit. Docet vero cryſtallos, methodo eo loco deſcripta, praeparatas, exſiccandas eſſe in charta bibula eas circumuoluendo. Conſervantur, ſi aether vitrioli vel ſpiritus vini vel oleum aethereum aut oleum expreſſum puriſſimum iis ſuperfunditur. In fine varia adduntur, quae in operatione cryſtalliſationis ipſa adhuc obſeruanda ſunt. p. 667.

*) vid. ſup. p. 263.

IX.

Traité de la vitriolisation et de l'alunation, ou l'art de fabriquer les vitriols et l'alun. Avec une dissertation sur la mineralisation et sur l'etat du soufre dans les mines et les metaux. Par Mr. MONNET, Membre de la Soc. royale de Turin et de l'acad. roy. des sc. arts et belles lettres de Rouen. Avec figures. A Amsterdam, et se trouve à Paris chez Pierre François Didot le jeune. 1769. 12. Pl. 13½.

h. e.

Tractatus de arte vitriola et alumen praeparandi, vna cum dissertatione de mineralisatione deque statu sulphuris in mineris et metallis. Auctore Cl. MONNET.

Vitriola ex acido vitriolico, cum ferro vel cupro vel zinco coniuncto, produci posse, constat. Cum autem haec vitriolorum praeparatio, si magna eorum copia requiritur, nimis sumtuosa sit, aliaque, in pyritum commutatione consistens, maiorem copiam sumtu minori largiatur, hanc prae reliquis attentione dignam Noster iudicauit, inprimis cum variae in isto praeparandi modo res obseruandae veniant. Primo itaque de natura et qualitatibus pyritum agit Cl. Auctor, postea autem de mutationibus eorum in vitriolum exponit, hicque ad tria inprimis momenta respicit; primo nimirum vitrioli formationem seu, vt dicit, *vitriolisationem*, per se consideratam explicat, deinde modum, quatenus vitrioli praeparatio accelerari et vitriola obtineri possint, communicat, tandem theoriam harum prae-

para-

parationum tradit. Abſoluta hac de vitriolo tractatione, formationem aluminis, ſeu vt loqui amat, *aluminiſationem* conſiderat, ideoque primo de mineris aluminis earumque mutatione in alumen agit, deinde modum, quo in variis locis, inprimis Leodii, praeparetur alumen, pertractat, vltimo autem oſtendit, quomodo alumen ex commixtione argillae cum pyritis per artem produci poſſit. His expoſitis, diſſertationem de mineraliſatione et ſtatu ſulphuris in mineris et metallis ſubnectit. Quod ad ipſam tractationem attinet, haec ipſa maximam partem tanquam opuſculum bene compilatum conſiderari poterit. Itaque nonnulla tantum hinc inde decerpere et cum Lectoribus noſtris communicare liceat.

In praefatione Noſter rationem reddit, cur novis vocabulis, nimirum *vitrioliſatione* et *aluminiſatione*, ad explicandam notionem de vitrioli et aluminis formatione vtatur. Bene itaque monet, grammaticos minime rerum vocabula inueniſſe, ſed intellectum humanum, prout nouas rerum notiones acquiſiuerit, conuenientia eis applicuiſſe nomina, et grammaticos hoc tantum praeſtitiſſe, vt id, quod intellectus humanus excogitauit, ſyſtematice colligerent, ſeu coordinarent. Hinc, inuentis novis rebus, noua etiam vocabula ad explicandas rerum notiones inuenire quemque poſſe, oſtendit.

Naturam pyritum dum conſiderat Noſter, hosp. 10.
ipſos ex ferro, materia ſulphurea et terra argillacea conſtare, hanc autem in maiori minoriue copia inesſe, ita, vt interdum pyrites minorem copiam vitrioli, maiorem contra aluminis praebeant, oſtendit. Eiusmodi compoſito, nimirum ferro hac ratione mineraliſato, nec aliis, quibus alia metalla immixta ſunt, nomen pyritis competere, autumat, ſique pyrites alia praeter ferrum metalla vel in minima co-

pia contineant, naturam eorumdem mutari et vi-
p. 16. trioli formationem impediri, oſtendit. Licet autem pyrites omnes ex ferro, terra argillacea et ſubſtantia mineraliſante conſtent, magnum tamen inter hos ipſos diſcrimen et varietatem eſſe, notat. Alios enim difficulter admodum, alios contra facile in vitriolum mutari, omneque diſcrimen a diuerſis proportionibus materiarum componentium et inprimis a ſtatu cryſtalliſationis pendere, perhibet.
p. 17. Pyrites ob qualitatem, qua mutantur in vitriolum, in tres ſpecies a Noſtro diuiduntur. Alia nimirum in forma cubica, alia in magna mole ceu minerae, alia demum in figura ſphaerica, deprehenduntur. Prima ſpecies difficulter, altera minori cum difficultate, tertia facile admodum in vitriolum mutatur. Cum vero altera ſpecies maiori in copia reperiatur, prima rara ſit, et tertia hinc inde quaſi diſſeminata, non niſi cum ſumtu colligi poſſit, pyrites, in forma minerae occurrentes, ad praeparationem vitrioli cum fructu impendi, Noſter perhibet.

p. 23. Si pyrites in vitriolum mutantur, primo incaleſcentiam, deinde intumeſcentiam, tandem expanſionem obſeruari, hancque vitrioli formationem ſequi, conſtat. In cauſſas horum phaenomenorum inquirens Noſter, primo ad acidum attendit, quod in pyritis, vt putat, ad agendum liberum eſt, quodque, licet materiae inflammabili vnitum ſit, mediante tamen aqua, ſeu incaleſcentia, quam intrans vel introducta aqua efficit, ſeparatur; quo facto, in motum ducitur, in materiam inflammabilem agit, atque hanc ipſam inſenſibiliter deſtruit, ſicque nudum quaſi factum, partem metallicam aut ferrum, quibuscum ſimul pyritis immixtum eſt, ſoluit et vitriolum producit. Aquam tamen non niſi ſubtiliſſime diuiſam, qualis ſit aqua, per aerem diſperſa, pyrites intrare inque partes ſubtiliſſimas eorumdem ſe inſinuare

ſinuare poſſe, atque acidum vitrioli ſic dilutum, quod concentratum antea ferrum non aggrediatur, hoc poſthac ſoluere, et vitriolum produci, hocque in pyritis non formari, niſi multa aqua eosdem penetrauerit, ideoque vitrioli formationem non niſi lente fieri, prout aqua ſe inſinuauerit, oſtendit. Cum ſpontanea pyritum effloreſcentia non niſi tardiſſime fieri ſoleat, calcinationem eorumdem praemittere ſolent. Haec, vt leniſſima ſit, nec diu continuetur, neceſſe eſt; alias enim ferrum calcinatur, et in crocum mutatur, ſulphur autem nimium diſſipatur, ſicque vitrioli formatio impeditur. Calcinatione facta, pyrites calcinati, vt conſtat, ad minimum ſex menſes aeri libero exponuntur, quo effloreſcentia rite ſuccedat et vitrioli formatio fiat. Pyrites enim calcinatos, ſtatim poſt calcinationem ſi elixentur, vitriolum nullum praebere, ſed hoc tantum formari, ſi aqua ex atmoſphaera pyrites intret, experientia docet. Facta tamen effloreſcentia, elixatio locum habet, ſique pyrites, non ſufficienter calcinati, poſt elixationem reſtant, iidem denuo calcinantur, aerique rurſus exponuntur. Cum autem pyrites interdum ſint, qui facile ad formationem vitrioli diſponuntur, ſolam tantum eorumdem contuſionem absque calcinatione praemiſſa ſuſcipiendam Noſter ſuadet, contuſos autem in cumulos colligi, ſique hi ipſi, quod facile fieri poſſit, inflammentur, multam aquam affundi et ignem exſtingui iubet. Hac autem cautione obſeruata, vitrioli formationem non impediri, ſed accelerari, perhibet. p. 32.

His expoſitis, lixiuiorum decoctionem, in ahenis plumbeis inſtituendam, et ſubſequentem cryſtalliſationem deſcribit, ſimulque perhibet, quomodo in variis locis vitrioli praeparatio, quae, quoad encheireſes, hinc illinc interdum variat et ſatis nota eſt, inſtituatur. p. 49.

p. 88. De vitriolo coeruleo ſeu cupri, quod ex minera cupri pura vel lapide cupri leniſſime calcinato itidem elixando, euaporando et cryſtalliſando paratur, notat Cl. Auctor, calcinationem leniſſimam requiri, quo fuſio impediatur et acidum ſulphuris euoluatur, ſicque cuprum ſoluatur. Ceterum euaporationem ſeu coctionem lixiuiorum, quae in aheneis cupreis, nec, vt cum vitriolo ferri fieri ſolet, in plumbeis ſuſcipitur, hanc ob cauſſam inſtitui poſſe, Noſter autumat, quod praecipitatio hic metuenda non ſit. Cuprum enim, acido vitriolico vnitum, dum coquatur, phlogiſto non orbari, ſique foret, vt praecipitetur cuprum, acidum tamen in ahenum cupreum non agere, putat, cum conſtet, acidum hoc non, niſi concentratum, cuprum ſoluere.

p. 98. Quod ad vitriolum album ſeu zinci, ex minera Rammelsbergenſi, zincum, plumbum et argentum continente, parandum attinet, nihil hic decerpere placuit, cum paucis verbis praeparationem dicti vitrioli deſcribat, quod prolixius omnino in SCHLÜTERI opere dictum legimus.

p. 105. Abſoluta hac tractatione, aluminis formationem deſcribit Cl. Auctor, ideoque de mineris aluminis earumque mutatione in alumen, ſeu vt dicit, *aluminiſatione* earumdem, poſthac autem de methodo, alumen parandi, agit. Ex his tantum notamus, quomodo per artem cum fructu alumen parari poſ-
p. 148. ſit. Modus, qui Noſtro arridet, triplex eſt; primo nimirum ſuadet, partes aequales argillae, in parua fruſta redactae, et pyritum commiſcere et ex his cum ligno cumulos per ſtrata exſtruere ſicque calcinare. Cum poſt primam hanc calcinationem maior quantitas vitrioli, quam aluminis obtineatur,

neatur, eosdem cumulos denuo calcinari iubet, quo basis martialis phlogisto orbetur, sicque acidum, liberum factum, cum argilla coniungatur, licet non negandum sit, tunc quoque vitriolum obtineri posse. Calcinatione facta, omnibus bene elixatis, lixiuia alcalina et ea inprimis, quae phlogiston fouent, adfundi suadet, quo vitriolum et lixiuia vitriolica destruantur et aluminis crystallisatio promoueatur. Alter modus alumen obtinendi est, si argilla, bene exsiccata, cum lixiuiis vitriolicis humectatur, dein calcinatur et elixatur. Tertius modus est, si lixivia vitriolica, quae vitriolum dant et omnem crystallisationem vltro respuunt, cum lixiuiis alcalinis commiscentur. Hac enim ratione, praeter vitriolum, vltimo alumen obtineri, perhibet.

Progredimur cum Cl. Auctore ad dissertatio- P. 173.
nem de mineralisatione, in qua ostendere annititur, qualis sit sulphuris in mineris combinatio et quae sint in quouis metallo differentiae huius combinationis, vt caussae diuersarum operationum eruantur, quas cum mineris instituere coguntur metallurgi. Ad quatuor itaque momenta respicit Cl. Auctor, quae per experimenta probare studet. 1) Sulphur et arsenicum, vt fert communis opinio, vnice pro corporibus mineralisantibus haberi; 2) sulphur in genere maiorem affinitatem cum alcali fixo, quam cum metallis alere; 3) inter metalla ferrum primum locum obtinere, quod cum sulphure affinitatem habeat; post hac autem cuprum, stannum, plumbum, argentum, bismuthum, antimonium, mercurius, arsenicum et cobaltum se inuicem excipiunt. 4) Aurum et zincum nullam affinitatem cum sulphure habere. His prae- P. 178.
missis, ostendit, sulphur cum alcali fixo maiorem affinitatem, quam cum ferro, non habere, idque per experimentum demonstrare annititur.

tur. Clauis nimirum ferreis, in crucibulo bene candentibus, aequale fere pondus hepatis ſulphuris ſicci adiecit, maſſa poſthac fuſa et refrigerata, in fundo pyritem nigrum, in ſuperiore vero parte hepar ſulphuris, minore quantitate ſulphuris, quam antea praeditum, et paruam portionem ferri ſoluti continens, reperit. Itaque ſulphur ob id, quod alcali deſerat, et ferro ſe vniat, maiorem affinitatem cum hoc, quam cum illo, aut ad minimum aequalem habere, coniicit.

p. 207. Sulphur, vt oſtendit Noſter, eamdem fixitatem in cupro, quam in ferro habet. Adeo nimirum cupro adhaerere dicitur ſulphur, vt cuprum ſulphuratum, ſi cum alcali fundatur, huius combinationem reſpuat et ferrum fruſtra omnino addatur. Hoc enim vel non mutatum reſtat, vel cum cupro ſulphurato coniungitur et mineram cupri, cum ferro mixtam, fiſtit. Si calcinatur cuprum ſulphuratum, phlogiſton quidem diſſipatur, ſed acidum ſulphuris ita adhaeret cupro, vt, ſi fundatur poſthac calcinata minera, acidum ſulphuris rapidiſſime phlogiſton ex igne arripiat, ſicque ſulphur, denuo generatum, cum cupro coniungatur, rurſusque cuprum ſulphuratum obtineatur. Vix itaque niſi maxima cum difficultate cuprum purum per repetitas calcinationes et fuſiones ex minera cupri obtinetur; ſi tamen, cupro ſulphurato, ferrum inſimulque plumbum addatur, ſulphuris ſeparatio expectari dicitur. Cum enim plumbum cum cupro, neque ita cum ferro, coniunctionem amet, accidit omnino, vt, dum cuprum plumbo ſe vnire tendit, nexus ſulphuris cum cupro imminuatur, quo facto, ferrum fortius nunc in ſulphur agit, idque eo magis, quo magis nexus ſulphuris cum cupro, durante fuſione, imminuitur. Ab hac operatione alia et quidem maior vtilitas pendere dicitur, perfecta nimirum argenti a cupro

cupro ſeparatio. Si enim cuprum purum, argentum continens, cum plumbo funditur, id ſane, quam diu cuprum purum eſt, non niſi maxima cum difficultate argentum a cupro ſeparare poteſt; ſin vero cupro, cum argento mixto, praeter plumbum, ſulphur ea quantitate, quae pro ſulphurando cupro ſufficit, additur, plumbum tunc faciliori negotio argentum ſeparat, quoniam affinitas cupri cum ſulphure affinitatem eiusdem cum argento minuit. Ob eamdem rationem eliquatio argenti faciliori negotio inſtituitur cum cupro nigro, quam cum cupro puro, ſulphure orbato. Si porro cuprum, cum plumbo coniunctum, cum ſulphure funditur, plumbum, dum cuprum mineraliſatur, fundum petit et purum obtinetur. Idem effectus obſeruatur, ſi lapides cupri, cum plumbo coniuncti, igni exponuntur; vt enim ignis ab illis ſulphur ſeparat, ſic quoque idem eodem tempore a plumbo ſeparatur, quod eo facilius argentum, ſi ineſt, ſecum abripit, cum plumbum citius, quam cuprum a ſulphure liberetur.

Cohaeſionem ſulphuris ſeu affinitatem cum metallis ſic dictis albis et ſcalam affinitatis ita Noſter definit, vt ferrum et cuprum ſuperiorem locum occupent et aequalem affinitatem habeant, poſthac autem ſtannum, plumbum, argentum, biſmuthum, regulus antimonii, mercurius, arſenicum et cobaltum ſe inuicem ordine excipiant, ita, vt ope ferri ab omnibus his metallis ſulphur ſeparari poſſit. p. 244.

Praeter ſulphur nullum aliud corpus, quod metalla in mineras vertit, agnoſcit Cl. Auctor. Arſenicum enim, vt recte monet, nequaquam metalla in mineras conuertit, ſed, ſi purum eſt et cum metallis coniungitur, regulum metallicum compoſitum, nec mineram praebet. Sin vero minerae reperiantur, quibus arſenicum inſit, tunc metallorum mineraliſa- p. 265.

ralisationem, ope sulphuris, cum arsenico coniuncti, nec ope arsenici fieri, monet.

p. 279. Quod tandem ad quaestionem attinet, vtrum metalla, cum sulphure coniuncta, sub forma metallica, id est, phlogisto vnita, an sub forma calcis coniunctionem ineant, priori Noster assentiri non dubitat, licet calces nonnullorum metallorum cum sulphure per artem coniungi interdum posse, non neget.

X.

IOSEPH IACOB PLENKS, *der Wundarzney und Geburtshülfe Meisters, Anfangsgründe der Geburtshülfe. Erster Theil: die Lehre der natürlichen Geburt. Zweyter Theil: die Lehre der harten und widernatürlichen Geburt. Wien in der Graefferischen Buchhandlung.* 1768. 8. 1 *Alph.* 6 *pl. tab. aen.* 2.

i. e.

IOSEPHI IACOBI PLENK, chirurgiae et artis obstetriciae magistri, elementa artis obstetriciae. Pars prior doctrinam de partu naturali et pars posterior doctrinam de partu difficili et praeternaturali comprehendens.

In hoc vtili et eleganti compendio Cl. Auctor ea, quae physiologicam theoriam artis obstetriciae spectant, breuiter tantum tradidit, doctrinam vero de grauidarum, parturientium, puerperarum et puerorum morbis plane omisit, ne libri moles nimium augeatur et ea hic exponantur, quae magis ad medici, quam ad chirurgi obstetricii munus pertinent. Instrumentorum applicationem non ibi tradit, vbi

de

de ſpeciebus partus difficilioris, quae eam exigunt, exponit, ſed ſingulari diſputatione de iis diſſerit, quae circa forcipis, perforatorii cet. vſum monenda ſunt. In vniuerſum optimis inter recentiores ſcriptoribus de arte obſtetricia vſus eſt, plura tamen tum ex ſuis, tum ex Cl. LEBMACHERI, qui Viennae artem obſtetriciam docet, obſeruationibus addidit.

In partu difficili in feminis ſanis et in cacochymicis oſſa peluis diduci, autumat Noſter. Menſurae peluis, hic propoſitae, a menſuris, quas alii tradiderunt, parum recedunt. Orificium vteri clauſum ſignum grauiditatis eſſe, plane negat. In iis enim, quae ſaepius iam pepererunt, illud, inprimis vltimis grauiditatis menſibus, ita apertum eſt, vt digito explorantis ſaepe membranae ipſae tangi poſſint. In aliis vero per omnem fere grauiditatem clauſum manet. Hinc in grauiditatis ſignis examinandis, Cl. Auctor magis ad duritiem vel mollitiem huius orificii, quam ad os vteri clauſum vel apertum attendit. Eſt enim illud in femina non grauida, vel ſi fetus extra vterum in tuba aut ouario haeret, nec non ſi molam vterus continet, duriusculum et quaſi cartilagineum atque in acumen terminatur, nec in latitudinem expanditur, vti in grauido vtero eſſe ſolet. Placentae fabricam eiusque cum vtero cohaeſionem ex HUNTERI obſeruationibus deſcribit, quae Ill. HALLERUS Elementis Phyſiologiae inſeruit *). Caput fetus in grauiditate non ſubito, ſed ſenſim, verſus os vteri deflecti, cum recentioribus aſſumit. Circumuolutione vero hac peracta, fetus vehementius mouetur et ſpecies dolorum ſpuriorum oritur. Fetu excluſo, orificium vteri, laxo et abſciſſo inteſtino ſimile, in vagina pendet, labiumque eius poſterius ſemper longius et tenuius anteriore deprehenditur.

p. 9.
p. 10.
p. 30.
p. 45.
p. 50.
p. 62.

*) vid. Tom. VIII. Additament. p. 220.

p. 66. ditur. Ipſa proxima partus naturalis cauſſa adhuc latet, a qua praeternaturalis cauſſa, quae abortum vel partum praematurum efficit, praeternaturalis ſcilicet vteri irritatio, probe diſtingui debet. Plena ria extricatio omnium fibrarum carnearum vteri, non proxima, ſed praediſponens tantum cauſſa in vtero eſt. An forte pondus fetus eiusque artus irritabilitatem partium, quarum contractione partus
p. 107. abſoluitur, excitant? Ex funiculo abſciſſo, ſi fetus facies coeruleum colorem habet et tumet, aliquot ſanguinis vncias emittere iubet, qua ſanguinis miſſione apoplexia ſanguinea, quae eiusmodi pueris imminet, optime praecauetur.

p. 127. In altera libri huius parte, qua de iis, quae in partu praeternaturali et difficili obſeruanda ſunt, Auctor Cl. exponit, praeternaturalem partum non eum vocat, qui pedibus praeuiis fit, ſed eum, in quo fetus pedibus vel inſtrumentorum ope educitur. Si peluis apertura ſuperior anguſta ſit, inferiorem vt
p. 140. plurimum ampliorem et vice verſa eſſe, quod LEVRETUS iam docuit, Cl. Auctor confirmat. Exoſtoſin in pelui partus difficilis cauſſam fuiſſe et in oſſe temporis fetus foueam inde natam eſſe, Cl. LEB-
p. 144. MACHER obſeruauit. Inter cauſſas quoque partus difficilioris Cl. Auctor rigiditatem ſeu duritiem cartilaginum refert, quibus oſſa peluis inter ſe coniunguntur, quae a ſe inuicem in partu recedere putat.
p. 153. Vaginam adeo anguſtam, vt vir in coitu nunquam penem immittere poſſet, Cl. Auctor, femina hac grauida facta partuque imminente, ſponte ita intra decem et octo horas dilatari vidit, vt partus feliciter
p. 153. perageretur. Vaginam, in media parte coalitam, Cl. LEHMACHER, ſectionis ope, in partu ipſo ſubſe-
p. 157. quente diuiſit. In alia hymen, cartilagineum quaſi factum, conceptionem non impediebat, ſed partum retardabat, qui, diſſecta hac membrana, forficis ope

feli-

feliciter procedebat. In agripparum partu grauida- p. 159.
que conuulſionibus correpta, pedibus iam et trunco progreſſis, caput tamen et brachia ſpaſmodica vaginae conſtrictione ita retinebantur, vt Cl. Auctor brachia difficulter tantum ſoluere, nec, niſi conuulſionibus ſopitis, caput extrahere poſſet. In inflam- p. 169.
matione orificii vterini, quae ſub partu difficili accidit, iniecta *aqua vegeto-mineralis* GOULARDI inſignem vſum praeſtitit. Vaginam dilaceratam orificiumque vteri, a vagina ſeparatum, vidit Noſter, ex nimis violenter tentata refuſione brachii prolapſi. In haemorrhagia vteri tinctura cinnamomi, quam p. 196.
SWIETENIUS Ill. *) commendauit, Noſter in- p. 200.
ſigni cum fructu vſus eſt, aſſeritque ſe plures haemorrhagias hoc remedio compeſcuiſſe, ea excepta ſpecie, quae ex ſitu placentae ſuper orificio vteri oritur; in qua tamen hoc remedium debilitatem, vomitum et lipothymias leuat. Dolores quoque ad partum veros hac tinctura excitari, experientia Auctorem docuit. Leuem haemorrhagiam ſub par- p. 201.
tu ex rupto vaſculo orificii vterini et in alia puerpera ex vaſe, in orificio vaginae ſito, oriri vidit. In vtroque tamen caſu haemorrhagia ſponte ſiſtebatur. Praegnantes conuulſionibus vltimo grauiditatis p. 216.
menſe, vel mox ante partum, correptae, fere omnes pereunt. Plures tamen ſeruari poſſe, experientia nos docuit. Si nulli ad partum dolores adſint, os coccygis reprimit et hac retropreſſione dolores excitare tentat. Puerperam, quae ſtatim a partu conuulſionibus

*) vid. Comm. in Aphoriſm. Boerhav. T. IV. ad §. 1327. *Bonum effectum vidi ſi vnciam mediam tincturae cinnamomi in vnciis ſex aquae ſtillatitiae meliſſae vel ſimilis diluerem, et cochlear talis mixturae omni bihorio exhiberem. Refocillat tale remedium, roborat, nec tamen motum ſanguinis augendo nocet.*

bus afficiebatur, venaesectione bis instituta maximaque naphthae vitrioli dosi exhibita, Cl. Auctor praesentaneo eripuit periculo. Suturarum coalitum in capite fetus fieri et partus difficilis caussam esse posse, variis obseruationibus confirmatur. Humeros saepe in fetu iusto latiores et partus difficilis caussa esse possunt, quod ROEDERERUS rarissime tantum accidere asseruit. Si fetus abdomen, aqua in eius cauitate collecta, turget, fetusque adhuc viuit, ope acus triquetrae longissimae canali inclusae *) abdomen eo in loco, in quo paracentesis instituisolet, Noster aperire, aquam emittere et partum deinde absoluere iubet. In mortuo vero perforatorium vulgare sufficit, nec forfex incurua a WALLBAUMIO delineata necessaria est **). In partu fetus vivi capite praeuio, Cl. Auctor meconium excerni vidit, cuius tamen excretio, vt plurimum, inter signa fetus mortui, vel debilis, aut natibus praeuiis procedentis numeratur. Si fetus vero natibus primum progreditur, semper versionem instituit, si ea adhuc fieri potest, nec vnquam partum naturae relinquit. In puellis, tali partu editis, ex compressione clitoris nonnunquam ita intumescit, vt eiusmodi puellae pro pueris habitae et baptizatae fuerint. Egregia profecto sunt et quae imitentur digna, quae de versione et situ fetus incommodo in rectum dirigendo Cl. Auctor monet. Proponit enim varios modos, eos peruersos situs fetus, in quibus pedes difficulter prehendi possunt, facili negotio in alium commodiorem

p. 237.

p. 238.

p. 241.

p. 272.

*) A FRIEDIO patre ad vesicam aquarum aperiendam proposita est. Vid. THEBES. tab. XVIII. fig. 29. §. 332.

**) vid. EIUSD. Versionem Germanicam libri Cl. LEVRET cui titulus: observations sur les causes des accouchemens labor. p. 461. Confer Comm. Suppl. Dec. I. p. 648.

diorem mutandi. Veremur tamen, ne haec omnia tantum ibi ſuccedant, vbi adhuc aliqua aquarum portio adeſt, refuſionesque eiusmodi ſeu *praeparationes*, vti Galli loquuntur, adhuc fieri poſſunt. Multa enim, quae ad optimas artis regulas excogitata ſunt, et ſi experimentum in machina (*phantome*) feceris, optime ſuccedunt, in vtero parturientis, arctius circa corpus fetus contracto, (vti etiam ipſe Cl. PLENK alio loco monet) nullo modo fieri poſſunt. Tentanda tamen ſunt ea, quae hac de re Cl. Auctor paſſim *) profert, cum, licet non ſemper, tamen nonnunquam ſuccedere forte queant. In verſione, inprimis ſi abdomen fetus orifi- p. 280.
cium vteri reſpicit, pedes non nimia violentia attrahi debent, ne caput ſubito reſiliat, ex qua re lipothymiam ortam fuiſſe, Cl. LEBMACHER obſeruarit. Methodum, a Cl. ADOLPH propoſitam, funiculum vmbilicalem intra ipſum vterum, ſi fetus, collo circumuolutus, partum impediat, diſſecandi **), nunquam in partu ipſo applicari poſſe, recte monet. Quodſi enim caput nondum deſcenderit, vitium hoc non perfecte cognoſci, eo vero deſcenſo, manus non immitti poteſt. Hinc Cl. Auctor partum hunc naturae potius permittit, vſque dum caput e vagina emineat, vbi vel funem ſoluit, vel diſſecat, fetumque cito extrahit, et aliquot cochlearia ſanguinis e fune diſſecto profluere ſinit, cum alias eiusmodi fetus apoplectici pereant. In funiculo p. 340.
prolapſo ex quinquaginta fetibus vix vnum LEBMACHERUS obſeruare potuit. Idem Cl. Vir in p. 353.

*) v. c. p. 285. 289. 296. 297. 304. 306. 323. 329. 334. cet.

**) Manum cultello armatam immittere, funem diſſecare et verſus fetum ligare iubet. vid. I. T. ADOLPH diſſ de funiculo vmbilicali vel intra vterum ligando. Helmſtadii. 1767. 4. Hoc tamen a Beat. Auctore nunquam in partu ipſo tentatum, ſed in muſeo tantum excogitatum eſſe, facile patet.

partu feminae, in qua peluis ampliſſima erat, placentam, ante caput dolorum vi ad exitum vſque peluis propulſam, vidit, placentam perforauit, fetumque per ipſam placentam protraxit, quod, niſi in hoc vnico caſu, ſi placenta orificio accreta ſit, ob inſignes vaſorum ramos, qui ſub hac perforatione dilacerantur, fieri debere, Cl. Auctor recte docet. Placentam in vtero Cl. LEBMACHER ad 15 dies
p. 363. ſine noxa inſequente remanere vidit. In inuerſi vteri repoſitione digiti non mediae tumoris parti applicandi ſunt, ſed margini vteri et ita inuerſus vterus ſenſim iterum a margine incipiendo inuertendus eſt. Monet Cl. Auctor, ſub hac operatione feminas ſaepe deliquium animi pati, imo nonnunquam perire, quod inſigni neruorum cerebri cum neruis cordis et pulmonum conſenſu adſcribit, idque ex letalitate vulnerum vteri, ex ſubitanea morte nonnullarum feminarum in coitu immoderato, in quibus nulla apoplexiae ſigna aderant et feminae exemplo probat, quae poſt repoſitionem vte-
p. 375. ri prolapſi ſubito conuulſa periit. In partu gemellorum funiculum fetus primo progreſſi verſus placentam, ante fetus ſecundi partum, ligandum eſſe putat, quod tamen non neceſſarium eſſe, putamus, cum, vel in hoc caſu, placenta, fetu, ad quam per-
p. 380. tinet, excluſo, ſanguinem fugere deſinat. Pluribus exponit Cl. Auctor ſigna fetus viui, mortui aut ſub ipſo partu mortui, quae tamen cum iam maxi-
p. 395. ma ex parte nota ſint, omittimus. Partum ad decimum ſextum menſem nonnunquam protrahi poſſe, putat. Inſtrumenta, quorum applicationem decet, ſunt: forceps Leuretiana et perforatorium LEVRETI *). Deſcribit quoque euacuationem thoracis et abdominis, quam diſſectioni fetus, ab aliis deſcriptae, praefert. Viſceribus enim thoracis et abdominis pro-

*) Perce-crane à deux lames.

protractis, ſpatium paratur ad manum immittendam verſionemque inſtituendam, quam methodum diſſectioni ſpinae dorſi, quae periculi plena, nec ſemper vtilis eſt, omnino praeferimus. SMELLII forcipem in eo tantum caſu adhiberi poſſe putat, vbi caput iam in peluim deſcenderit, quod de breui et recta tantum valet. In duabus tabulis aeneis inſtrumenta, quibus Auctor Cl. vtitur, ſellaque et lectulus obſtetricius delineantur. p. 418.

XI.

Storia naturali degli uccelli trattata con metodo e adornata di figure intagliate in rame e miniate al naturale, Tomo primo. Al Altezza Reale del Sereniſſimo Pietro Leopoldo Principe Reale d'Ungheria e di Boemia, Arciduca d'Auſtria e Granduca di Toſcana. In Firenze l'anno 1767 nella ſtamperia Mouckiana. fol. maior. 1 Alph. 2 pl. tab. aen. CXX. viuis coloribus pictae.

h. e.

Ornithologia methodice digeſta atque iconibus aeneis, ad viuum illuminatis, ornata. Tomus primus. Ad Regiam Celſitudinem Sereniſſimi Petri Leopoldi Regii Principis Hungariae atque Bohemiae, Archiducis Auſtriae, Magni Ducis Etruriae etc.

Ea eſt hiſtoriae naturalis noſtro ſeculo felicitas, vt non ſolum corporum naturalium cognitio in dies plurimorum labore et inuentis augeatur, ſed et facilior reddatur atque deſcriptionibus accuratiſſimis elegantiſſimisque figuris illuſtretur. Hoc vero, vti

omnibus hiſtoriae naturalis partibus, ita prae ceteris ornithologiae contigiſſe fatendum eſt. Quem enim ea fugiunt, quae intra paucos annos FRITSCHIUS, EDWARDUS, BRISSONUS et quorum libros proxime indicaturi ſumus BUFFONUS et Cl. D'AUBENTON hac in re praeſtiterunt, quorum induſtria multae iam cognitae aues, accuratius deſcriptae et depictae, pluresque plane, vel ex parte, incognitae in lucem protractae fuerunt. Atque inter hos, qui noſtro ſeculo auium hiſtoriam felici ſucceſſu coluerunt, clariſſimos viros referendus quoque eſt Ill. IOANNES GERINI Marchio et Patricius Florentinus, qui anno huius ſeculi quinquageſimo primo e viuis diſceſſit. Hic enim multo ſtudio, nec ſine paruis ſumtibus, magnam copiam picturarum collegit, in quibus plurimas aues easque rariſſimas depingendas curauit. Vſus vero eſt hac in re potiſſimum arte pictoris egregii Cl. IOANNIS FERRETTI. Ne autem eruditus orbis fruſtraretur vſu et voluptate ex his tabulis capiendis, annuentibus haeredibus defuncti, Cl. Viri XAVERIUS MANETTI, LAURENTIUS LAURENTI et VIOLANTE VANNI harum figurarum editionem in ſe ſuſceperunt, ea ratione, vt totum opus, cuius primum volumen indicamus, ſex conſtaret voluminibus comprehenderetque vltra centum auium icones, a GERINO collectas, paſſim tamen aliis figuris, a variis communicatis, quae vero, aſteriſco adiecto, a Gerinianis diſtinguuntur, auctas. Omnes autem figurae ad RAII fere methodum diſpoſitae ſunt, primumque hoc volumen *falconis* LINNAEI genus, ad quod ille *aquilas* refert, *vulturis* porro, *ſtrigis* et *lanii* genera, omnemque hac ratione *accipitrum* LINNAEI ordinem continet; quibus addita ſunt *paradiſaeae*, *cuculi* et *caprimulgi* genera atque plurimae *pſittacorum* ſpecies. Singulis voluminibus ſermones

mones de rebus diuerſis, ad hiſtoriam auium naturalem ſpectantibus, praemittentur, quem excipient ipſae auium in tabulis delineatarum deſcriptiones, additis nominibus et definitionibus aliorum Auctorum, nec non Gallicis Anglicisque, nominibus. Italica et latina lingua exaratae ſunt, nec in iis figurae tantum et colorum delineationem verbis expreſſam inuenies, hanc enim picturas adiectas ſuperuacaneam reddere, Cl. Auctor arbitratur; ſed magis de moribus, vſibus oeconomicis aliisque proprietatibus harum auium, ad quae alii v. c. BRISSONUS cet. non attendunt, agitur, breuiter tamen, nec ita, vt multae nouae obſeruationes ibidem reperiantur. Deſcriptionibus auium, quae ad ſingula genera pertinent, ex aliis Auctoribus additae ſunt eae ſpecies, quarum figurae hic deſiderantur. Occurrunt tamen in figuris et deſcriptionibus plures aues, quae non ſpecies, ſed varietates tantum ſunt. Figurae plurimae ſatis elegantes nobis viſae ſunt, praeſtantiae tamen gradu ita differunt, vt nonnullae ex iis vix mediocres dici queant.

Primo huic volumini praemiſſa eſt dilucidatio et definitio vocum, quibus ornithologiae ſcriptores, vti ſolent, plurimaque Auctorum ſyſtemata breuiter delineantur. Continet hic tomus CXX tabulas, in quibus ſequentes aues depictae ſunt: Tab. I. *Aquila regia communis* ſiue *chryſaëtos vulgaris*, *aquila chryſaëtos* BELLONII (an *falconis chryſaëti* LINN. varietas?) pedibus non lanatis. p. 35. Tab. II. *Falco chryſaëtos* LINN. Tab. III. *Falco melanaetus* LINN. Tab. IV. *Aquila rapax ex albo maculata*, ſiue *naeuia* (an praecedentis varietas?). Tab. V. *Aquila Etruſca* ſiue *aqua corpore fuſco, capite colloque toroſo, roſtro pedibusque coeruleſcentibus* Auctoris (an femina prioris?). Tab. VI. *Pullus aquilae* (*chryſaëti*). Tab. VII. *Falconis fului* LINN. Syſt. XII. varietas β *Canadenſis*. Tab. VIII.

Falco leucocephalus LINN. Syſt. XII. Tab. IX. *Vultur niger* ſiue *leporarius* Auctoris (an *der groſſe Lämmergeyer* Heluetiorum – *vulturis aurae* varietas?). Tab. X. *Vultur percnopterus* LINN. *fuluus baetico Bellonii congener* RAII. Tab. XI. *Vultur barbatus* LINN. Tab. XII. *Vultur papa* LINN. Tab. XIII. *Vultur aura* LINN. Tab. XIV. *Vultur aquilinus cinereus* Auctoris; an femina *falconis montani Aegyptiaci* HASSELQUISTII, quem LIN-
p. 47. NAEUS ad *vulturem percnopterum* refert? Habitat in Etruriae maritimis, et boum ibi paſcentium dorſo inſidet, eosque ab inſectis, in cute eorum nidulantibus, liberat. Tab. XV. *Vultur aquilinus fuſcus* Auctoris an *vulturis percnopteri* LINN. varietas? Tab. XVI. *Accipiter fringillarius vulgaris, ſparuerius recentiorum*, an *falconis niſus* LINN. femina? Tab. XVII. *Accipiter fringillarius minor;* an *accipiter minor* BRISS. *falco minutus* LINN.? (an non potius *mas falconis niſus?*) Tab. XVIII. *Accipiter emerillus ſ. ſmerillus mas; aeſalon* BRISS. (an *accipiter niſus* LINN.) Tab. XIX. *femina prioris.* Tab. XX. *Accipiter muſchetum vulgo et Aldrouando dictum referens* (*accipiter niſus*, LINN. ſed multum a prioribus tab. XVI–XIX differt.) Tab. XXI. *Falco palumbarius* LINN. femina. Tab. XXII. Idem *accipiter palumbarius* nouis pennis obductus. Tab. XXIII. *Falco peregrinus* GESNER. BRISSON. cet. (an *falco barbarus* LINN.? ſed cera obſcura eſt.) In Italiam ex Graecia transmittitur, mitis eſt, et ad hominum nutus facile venatur. Tab. XXIV. femina *eiuſdem.* Tab. XXV. *Accipiter peregrinus alter;* an *Falco barbaricus ſ. ſcythicus* vel *tartaricus* Auctorum. Tab. XXVI. *Falco lanarius* LINN. Tab. XXVII. *Falco barbarus* LINN. Tab. XXVIII. *Falco ſacer dictus* Auctorum. Tab. XXIX. *Falco gentilis* LINN. Tab. XXX. *Accipiter albus moſcouiticus ex nigro maculatus;* an *falco gyrfalco*

LINN.

LINN. Tab. XXXI. *Falco pygargus* LINN. femina. Tab. XXXII. *Falco boeticus roſtro magno aquilarum aemulo* (varietas forte *falconis lanarii* LINN.) Tab. XXXIII. *Falco boeticus capite albo;* ſuperioris varietas; an *falconis leucocephali* BRISS. variet C. ſpec. 4. Tab. XXXIV. *Falco gibboſus*, BRISS. variet B. ſpec. 4. Tab. XXXV. *Falco vulgo Albanella dictus*, an *falco albus* BRISS. Tab. XXXVI. *Falco-Albanella rufeſcens dictus.* Tab. XXXVII. *Falco Albanella torquata dictus*, an *falco buteo.* LINN. Tab. XXXVIII. *Falco miluus corpore ſupra fuſco, ſubtus albido, maculis longitudinalibus fuſcis, cauda integra* Tab. XXXIX. *Falco miluus* LINN. Tab. XL. *Falco haliaetus* LINN. Tab. XLI. *Falco aquilinus fuſcus.* Tab. XLII. *Falco aquilinus rufeſcens.* Tab. XLIII. *Falco aquilinus aetate caneſcens.* Tab. XLIV. 1. *Falco coeruleſcens*, LINN. 2. *Falco hudſonius* EIUSD. Tab. XLV. *Falco in Etruria Barletta dictus.* Tab. XLVI. *Falco vulgo in Etruria Barletta cinerea, ſiue plumbeo colore.* Haec et quae in ſequentibus tabulis delineantur ſpecies ſeu potius varietates gregariae ſunt, et in vna grege plures coloribus multum inter ſe diſcrepantes conſpiciuntur. Tab. XLVII. et XLVIII. ſunt varietates *Barlettae.* Tab. XLIX. *Falco tinnunculus* LINN. Tab L. Varietas *Tinnunculus cauernalis* ſiue *montanus.* Tab. LI. Varietas *Tinnunculus murorum* vel *turrium.* Tab. LII. Mas vel varietas eiuſdem. Tab. LIII. *Lanius excubitor.* LINN. Tab. LIV. Varietas prioris vel *lanius Ludouicianus* LINN. Tab. LV. 1) *Lanius collurio.* LIN. 2) *Collurio varius*, BRISS. an prioris varietas? Tab. LVI. *Lanius ferrugineus maior*, ſ. *lanius maior capite ruſo* Auctoris. Tab. LVII. 1) *Lanius caeruleſcens* LINN. *Lanius ſenator* LINN. Syſt. X. 2) *Lanius criſtatus.* Tab. LVIII. 1) *Lanius ſulphuratus* LINN. BRISS. 2) *Ampelis carnifex* LINN. Tab. LIX. *Lanius rufus* LINN. Tab. LX. 1) *Lanius*

p. 66.

nius Madagaſcarienſis coeruleus BRISS. 2) *Lanius curuiroſtris* LINN. Tab. LXI. *Lanius Senegallus* LINN. *Senegalenſis ruber* BRISS. Tab. LXII. 1) *Lanius Manillenſis* BRISS. 2) *Lanius Canadenſis* LINN. Tab. LXIII. *Paradiſea apoda* LINN. Tab. LXIV. 1) *Manucodiata nigra falſo exiſtimata* (an *muſcicapa paradiſi* LINN.?) 2) *Paradiſea pedibus reſectis*, vt in muſeis vulgo aſſeruatur. Tab. LXV. *Alia auis paradiſiaca falſo exiſtimata.* 2) *Vidua Braſilienſis*, an *emberiza paradiſaea* LINN.?) Tab. LXVI. *Paradiſaea regia* LINN. Tab. LXVII. *Cuculus canorus* LINN. Tab. LXVIII et LXIX *eiuſdem* varietates. Tab. LXX. *Cuculus glandarius* LINN. Tab. LXXI. *Cuculus ex nigro et albo mixtus criſtatus;* quae ſpecies exotica quidem eſt, ſed tamen 1739 circa Piſam nidificauit. Tab. LXXII. *Cuculus niger* LINN. Tab. LXXIII. *Cuculus Perſa* LINN. Tab. LXXIV. *Cuculus Coromandanus* LINN. Tab. LXXV. *Cuculus paradiſeus* LINN. Tab. LXXVI. *Cuculus Mindanenſis* LINN. Tab. LXXVII. *Cuculus criſtatus* LINN. Tab. LXXVIII. *Cuculus caeruleus* LINN. Tab. LXXIX. *Cuculus vetula* LINN. Tab. LXXX. *Cuculus Sinenſis* LINN. Tab. LXXXI. *Strix bubo* LINN. Tab. LXXXII. *Bubo minor* ſ. *vulgaris.* Tab. LXXXIII. *Bubo alter* ſeu *pennis mutatis.* Tab. LXXXIV. *Bubo Virginianus* BRISS. Tab. LXXXV. *Strix otus* LINN. Tab. LXXXVI. an *Strix funerea* LINN.? Tab. LXXXVII. *Noctua flaua* ſeu *ſylueſtris* varietas prioris. Tab. LXXXVIII. *Noctua cinerea* (varietas). Tab. LXXXIX. *Noctua alba.* Tab. XC. *Noctua Canadenſis* BRISS. quam LINNAEUS ad *ſtrigem funeream* refert. Tab. XCI. *Strix aluco* LINN. Tab. XCII. *Aluco albus* varietas. Tab. XCIII. *Strix nyctea.* Tab. XCIV. *Strix aluco* Auctoris forte etiam ad ſpeciem a LINNAEO ita nominatam pertinet. Tab. XCV. *Strix ſtridula* Auctoris. Tab. XCVI. *Strix rufa* praeceden-

cedentis forte varietas. Tab. XCVII. *Strix falco noctuaeformis dicta.* Tab. XCVIII. *Strix freti Hudſonis* BRISS. Tab. XCIX. *Caprimulgus Europaeus* LINN.. Tab. C. eiuſdem varietas β. LINN. Tab. CI. *Pſittacus ſeuerus* LINN. Tab. CII. *Pſittacus macao* LINN. Tab. CIII. *Pſittacus ararauna* LINN. Tab. CIV. *Pſittacus domicella* LINN. Tab. CV. *Pſittacus lory* LINN. Tab. CVI. *Pſittacus garrulus* LINN. Var. γ. *Moluccenſis* BRISS. Tab. CVII. *Pſittacus Braſilienſis viridis capite coeruleo et albido.* Tab. CVIII. an *pſittacus nobilis* LINN.? Tab. CIX. *Pſittacus viridis Braſilienſis capite albo.* Tab. CX. an *Pſittacus Carolinenſis* LINN. Tab. CXI. *Pſittacus flauus maculis ſubviridibus conſperſus, fronte albida Braſilienſis.* Tab. CXII. *Pſittacus erithacus* LINN. Tab. CXIII. *Pſittacus Guineenſis cinereus rubro varius* EDWARDS. Tab. CXIV. an *pſittacus amazonicus* LINN. Tab. CXV. *Pſittacus aeſtiuus* LINN. Tab. CXVI. *Pſittacus Braſilienſis* LINN. Tab. CXVII. *Pſittacus criſtatus* LINN. ſeu *cacatua.* Tab. CXVIII. *Pſittacus* (cacatua) *rubro criſtatus* BRISS. Haec auis in p. 96. viuario magni Ducis Etruriae ad minimum 133 annos vixit. In eodem vivario extat *araraunae* ſpecies adhuc incolumis, quae annos ſupra centenos iam ibi viuit. Tab. CXIX. *Cacatua minor* BRISS. Tab. CXX. *Pſittacus accipitrinus* LINN.

XII.

ANTONII STÖRCK, Sacr. Caeſ. Reg. Apoſt. Maieſtatis Conſiliarii aulici, archiatri, nec non in noſocomio ciuico Pazmariano phyſici, libellus, quo continuantur experimenta, et obſeruationes circa noua ſua medicamenta. Vindobonae, typis Ioan. Thom. de Trattnern, Caeſ. Reg. aulae typogr. et bibliopolae, 1765. 8 mai. pl. 18.

Laudabili ſane inſtituto, Cl. Auctor, et indefeſſo labore, ſalutares effectus medicamentorum ſuo-
p. 2. rum, *cicutae* ſcilicet, *aconiti*, *colchici*, *hyoſcyami* et *ſtramonii*, nouis obſeruationibus, octo huius libelli capitibus comprehenſis, vberius explicare et confirmare ſuſcepit: in quo iſtas tamen, quibus ſtramonii vſus, in melancholicis et epilepticis morbis, magis probari, commendarique potuiſſet, aegerrime prorſus deſiderauimus.

Praemiſſis igitur capiti primo cautelis, quibus, ante propinationem venenatarum ſuſpectarumque plantarum, ſemper vſus eſt Cl. Auctor; et expoſito
p. 7. capiti ſecundo cicutae verae charactere eſſentiali, foetore ſcilicet murium domeſticorum, quem planta, loco calido flaccefcens, vel inter digitos contrita, vndique ſpargit; illam totam fere absque vlla praeparatione tuto exhiberi, et conſeruam quoque, ſyrupum atque oleum coctum, nec non aquam deſtillatam fragrantiſſimam, ex Cl. LEBERI inuentione, in curandis peſſimis vlceribus, decocto vel infuſo ipſo plus, quandoque efficientem, et inde parari
p. 13. poſſe, docet. Et caput tertium demum obſeruationes ipſas, quibus cicutae vtilitas comprobatur, vno plus, quam triginta exemplis proponit. Quae cum omnia recenſere nequeamus, notamus ſaltim, Noſtrum

ſtrum hanc in mammae ſcirrhis dolentibus, cancroſis caſ. I. XXVI. XXVII; eiusque exulceratione caſ. IV; cancro naſi aperto caſ. II; exoſtoſibus articulorum pedum, cum foediſſimis vlceribus et carie caſ. III. XV; foediſſimis oris fauciumque ſerpentibus vlceribus, vna cum veli palati penduli pluribus in locis perforatione, aphthisque peſſimis caſ. V. VI; glandulis colli, axillarum mammarumque, caſ. VII. VIII. ſcirrhoſis cancroſisque; cum febre lenta et ſputis foetidis caſ. XIV; nec non cum capitis doloribus et reſpiratione ſibiloſa caſ. XXIX. coniunctis; item in tumoribus hypochondriorum, ventrisque duris caſ. XVII. XVIII. XX; in viſu debili cum pupillarum dilatatione caſ. IX. optimo cum ſucceſſu adhibuiſſe: cum contra pueri duodecim annorum glandulas ſubmaxillares partis dextrae induratas, annuo licet cicutae vſu, parum tantum imminuere caſ. XXVIII; aegrumque viſu debili et oculorum bulbis diſformibus, protuberantibus caſ. X. praeditum, aliumque, in cuius oculi ſiniſtri pupilla valde dilatata corpus ex flauo coeruleum, ſubpellucidum, rotundum haerebat, caſ. XI. eodem remedio prorſus non reſtituere poſſet. Sic quoque in ſpina ventoſa caſ. XII; rhachitide caſ. XIII; gonorrhoea inueterata cum bubonibus in vtroque inguine caſ. XIX; vrinae mucoſae foetidae reddendae difficultate, cum teſticulis induratis tumidis caſ. XXII; fluore albo malimoris cum vteri orificio dolente ardenteque caſ. XXIII. ſaluberrimos effectus, integrae ſcilicet ſanitatis reſtitutionem, praeſtitit. Praeterea diuturnos etiam dolores rheumaticos caſ. XVI; cum articulorum rigiditate et melancholia coniunctos caſ. XXIV; verrucae exulceratae vlcus, foetorem intolerabilem ſpargens caſ. XXI; aliudque eiusmodi cancroſum vlcus manus dextrae foetidiſſimum caſ. XXX. integre ſuſtulit. Eademque hac planta feminam triginta annorum,

annorum, ex octo ſeptimanis vomitu omnia reiicientem caſ. XXV. paucis diebus integre reſtituit; et binos pueros a natiuitate fere turpiſſima tinea capitis, et foediſſima ſcabie laborantes caſ. XXXI. quinque ſeptimanarum ſpatio inſigniter iam alleuauit. De quibus omnibus quidem Cl. Auctori ſincere gratulamur, dolemus vero largum, diuturnum, frequentiſſimumque *cicutae verae* vſum reſtitutionis loco, ſpem noſtram in eiusmodi caſibus ſaepenumero fefelliſſe.

p. 62. Corollaria vero, ex praecedentibus deducenda, et ſigna boni maliue euentus, nec non cautelas in variorum horum morborum curatione attendendas, Capite quarto vberius explicauit, monuitque; cicutam interdum ad carnem fungoſam, ex vlceribus rebellibus abigendam, cum ſpiritu ſalis acido, vnguento Aegyptiaco, vel aqua phagadaenica miſcendam, opiique grana quaedam addenda eſſe, ſi haec ratione dolores excitentur.

p. 92. Praeſtantiam extracti aconiti, flore coeruleo, quatuordecim caſus capitis quinti propoſiti ſatis euincunt. Hoc enim in tophis caſ. I. IV. XIV. vlceribus naſi, faucium, veli palati penduli exeſi, aliisque vlceribus venereis dolorificis caſ. V. XI; doloribus articulorum rheumaticis, membrorumque arthriticis caſ. II. III. VI. VII. IX; et praeſertim capitis caſ. X. XII; vt et dolore iſchiatico cum femoris extenuatione. Caſ. XIII. partim ſolum, partim vero cum aequali, vel paullo maiore mercurii dulcis quantitate mixtum, plenariam reſtitutionem; in ſpina ventoſa caſ. VIII. vero inſignem alleuationem praeſtitit. Nos ipſi quoque experti, teſtari poſſumus, hoc extractum in doloribus rheumaticis arthriticisque egregios effectus edidiſſe. Et laete adhuc recordamur, nos a medio iulii 1763 puerum decennem, iam Academiae candidatum, ſpina ventoſa oſſis zygomatici dextri,

dextri, ossium radiorum, vlnarum, tibiarumque ambarum, ossium carpi et metacarpi, nec non phalangum fere omnium digitorum manus dextrae, fere vndique exulcerata laborantem solius huius extracti vnciis duabus cum dimidia novem mensium spatio integerrimae sanitati restituisse.

Salutares effectus extracti hyoscyami capite sexto contra spasmos, melancholiam, maniam, epilepsiam, septem casibus tam confirmare, quam illustrare quaesiuit Noster. Quilibet vero perspicit, hoc remedio nequaquam veram epilepsiam vel melancholiam diuturnam, sed delirium tantum febrile fortius cum conuulsionibus, ab exanthematibus retrogressis cas. I; cordis palpitationes cum spasmo dolente brachii sinistri cas. II; melancholiam incipientem ex malo hysterico cas. III; somnum anxium turbulentum ex malo hypochondriaco cas. IV; conuulsiones, ex semestri spatio ancillam qualibet quarta vel quinta nocte inuadentes cas. V; tussim siccam titillatoriam, cum pectoris dolore cas. VI; recentissimamque maniam cas. VII. hoc remedio depulsam esse, in quibus vtique sanitatis restitutio plerumque non adeo difficulter apta methodo obtineri solet. p. 122.

Colchici autem autumnalis virtutes capite septimo decem casibus confirmare annisus est. Puerum enim octennem, superata febre scarlatina, hydropicum cas. I; virum sexaginta, feminamque sexaginta trium annorum, hydropicos, asthmaticosque cas. II. III; asthmaticum sexaginta quatuor annorum cum indiciis manifestis hydropis pectoris cas. IV; puellam ventre, pedibusque tumidis anxie respirantem, cum breui tussicula cas. V; feminam quinquaginta annorum, ventris hydrope et tussi vehemente laborantem cas. VI; similem ancillam, hydropicam asthmaticamque quinquaginta annorum; nec non vetulam asthmaticam cas. VII. VIII. IX; tandemque etiam p. 141.

ancillam

ancillam leucophlegmaticam caſ. X. hoc remedio integerrimae ſanitati reſtituit. Nos vero ex frequente et admodum diuturno huius remedii vſu ſatis conuicti ſumus, oxymel colchicum ſquillitico nequaquam praeferendum eſſe.

p. 161. Capite octauo demum Noſter obſeruata ab exteris communicata, recenſet. Ex his duo tantum caſus ad extracti hyoſcyami; varii ad oxymellis colchici; plures ad extracti aconiti vel ſolius, vel cum mercurio dulci, vel extracto cicutae mixti; quamplurimi vero ad cicutae ſalubritatem comprobandam pertinent; quos cuiuslibet lectioni commendamus. Notamus ſaltim ea, quae Cl. KRAPF, Tergeſtinus, de varia cicutae efficacia obſeruauit. Aſſerit enim 1) cicutam in locis vmbroſis creſcentem, illa efficaciorem eſſe, quae tota die ſolis, praeſertim meridiani radiis, expoſita eſt. 2) Quo calidior climatis, ſoliue, in quo cicuta creſcit, aër ſit, eo minorem eſſe cicutae efficaciam. 3) Succum cicutae, ex manipulis tribus pro qualibet doſi, per linteum recens expreſſum, hauſtumque illico iuſculo, vel theae potui admiſtum (ter, quaterque interdum in morbis pertinaciſſimis per diem ſumendum), efficaciorem eſſe extracto, praeſertim negligenti encheireſi praeparato. 4) Extractum recens, parua copia, verno tempore paratum, efficacius, penetrantiusque eſſe veteri, menſibus aeſtiuis ex planta iam adulta, et magna copia parato. Tandemque etiam idem Cl. KRAPF ex decocto cicutae in vaſe clauſo, pulcherrimos effectus in ſcirrhoſis mammarum tumoribus, glandulis ſubaxillaribus induratiſſimis, ſcirrhoſa vteri, praeſertim orificii eius duritie iam carcinomatoſa, obſeruauit, ſi vapor eiusdem per cannulam plus minus longam, vaſi adaptatam, excipiatur, locoque adfecto immediate adplicetur.

XIII.

XIII.

ANTONII STÖRCK, Sac. Caeſ. reg. Apoſt. Mai. Conſiliarii aulici, archiatri, in noſoc. ciuic. Pazmariano phyſici, Scient. botan. Florent. Academ. ſcient. Sien. Acad. Princip. Haſſ. etc. membri, inclyt. Facult. medic. Decani emeriti, et hoc tempore in antiquiſſ. ac celeberr. Vniuerſit. Viennenſi Rectoris, libellus, quo demonſtratur: herbam, veteribus dictam flammulam Iouis, poſſe tuto et magna cum vtilitate exhiberi aegrotantibus. Viennae, typ. Io. Thom. Nob. de Trattnern, 1769. in 8. pagg. 53. tabul. aen. 2.

Pergit Cl. Auctor in vtiliſſima ſua efficaciorum plantarum, minus vſitatarum, ſolertiſſima diſquiſitione, iam experimenta proponens, quae cum *flammula Iouis* inſtituit, quibus etiam alia quaedam de *dictamno albo* ſubiunxit. p. 1.

Praemiſſa itaque Cap. 1. flammulae Iouis, cuius iconem etiam addidit, a Pharmacop. Io. Iac. Well, deſcriptione, remedia exinde, ſcil. infuſa foliorum et florum, tenuiora fortioraque, extractum e ſucco plantae recentis expreſſo, et puluerem foliorum parare docet; quorum doſes ita determinat, vt ab infuſo vaſculum vnciarum quatuor; extracti ſaccharo mixti granum dimidium; foliorum autem pulueris a granis tribus ad grana decem bis, ter vel quater de die ab aegrotantibus tuto hauriri queant. p. 7. p. 11.

Tentaminibus igitur quibusdam cum cane ſano, paruo, et porco, caput continuo agitante, oblataque reſpuente, interno vſu; nec non aui tenerrima, excreſcentiam fungoſam fabae mediocris magnitudine in vertice gerente, externa pulueris inſperſione, p. 12

feliciter cedentibus, illa quoque cum hominibus aegris instituere nullus dubitauit.

Internus autem huius remedii, et quidem infusi folius, vsus, in tollendo diuturno admodum, graviſſimoque capitis dolore, tribus feminis Caſ. I. II. et XVII. perquam ſalutaris fuit, quarum primam, licet a cauſſa venerea ortum traheret, intra ſex dierum ſpatium plenarie reſtituit. Sic quoque internus infusi, cum externa foliorum pulueris inſperſione coniunctus, vſus cancrum labii ſuperioris peſſimum Caſ. III. et IX. cum tuberculis naſi exulceratis, e malo venereo ortis, hunc licet paullo tardius aegriusque, plenarie tamen ſuſtulit, et in cancro labii inferioris peſſimo Caſ. XXIII. ſpem integrae ſanationis fecit. Idem quoque externus internusque vſus vlcera ichoroſa, ſerpentia, foetidiſſimaque cum labio inferiore cancroſo, Caſ. IV. V. e lue venerea orta, nec non cum tophis venereis Caſ. VII. iuncta, ſaluberrimos effectus produxit; et vlcera crurum putrida, fungoſa, ſerpentia, ſordidiſſimaque, Caſ. VI. VIII. et XVIII. perfecte conſolidauit; quin imo vlcus gangraenoſum, cum inſigni tibiae prope malleolum externum carie Caſ. X. exfoliatione facta, feliciter ſanauit. In excreſcentiis autem exulceratis, cancroſis, fungoſisque, Caſ. XI. XII. et XIX. non adeo ſalubris fuiſſe videtur. Prior enim aegra impatiens non curata abiit, poſteriores vero duo nequaquam reſtitui potuerunt. Vlcerum ſerpentium, acerrimumque ichorem ſtillantium, nec non a ſcabie annoſa ortorum Caſ. XIII. et XIV. crebra cum infuſo flammulae Iouis, quod et interne hauriendum propinabatur, ablutio, ſat citam perfectamque ſanationem procurauit. Arthritidem veneream duodecim annorum Caſ XV. infusi quidem hauſtus, puriformem vrinae excretionem promouens, plenarie ſuſtulit, alterius autem viri Caſ. XVI. ſimillimum mor-

morbum, nec leuare, nec tollere potuit. Puluis autem herbae flammulae Iouis glandi penis tumidae, Caſ. XX. exulceratae, excreſcentiisque fungoſis ſemiputridis foedae, inſperſus tantum, malum integre curauit, vlceraque vrethrae Caſ. XXI. infuſi hauſtus, eiusdemque in vrethram iniectio, aliquoties ſanauit; femorisque articulationem ſuperiorem a tumore duro, et vlcere ſinuoſo immobilem Caſ. XXII. eiusdem propinatione iam mobiliorem reddidit. Tandemque etiam exulceratus fungoſusque mammae cancer Caſ. XXIV. a dexterrimo chirurgo REICHBERGER ſola pulueris inſperſione ſanatus deprehenditur.

Puluerem itaque huius herbae excreſcentias fungoſas ſubcarneas conſumere, vlcera ſordida pura reddere, non tamen carnes viuas ſanasque rodere, ſed cuticula tegere; hinc omnibus cauſticis, huc vſque cognitis, praeferendum, perſaepe cancrum exulceratum, vlceraque maligna ſolum curare, nec tamen remedium vniuerſale in eiusmodi morbis eſſe; vlceribus inſperſum ſubinde primis diebus magnum ardorem excitare; infuſum autem interne ſumtum diuturnos quandoque capitis dolores, vt et oſſium pertinaciſſimos, a lue venerea ſuperſtites, vlcera ichoroſa, ſcabiem pertinaciſſimam curare; varias corporis acrimonias corrigere; in aliquibus vrinam, in aliis ſudorem, paucis aluum mouere; eumdemque effectum puluerem vel extractum interne datum exhibere, nec vllam corporis actionem turbare, vel mali quidquam producere Noſter perhibet.

Radicis poſtea dictamni albi effectus Cap. 2. p. 36. expoſiturus, poſt plantae itidem a I. I. Well factam deſcriptionem, delineationemque, eſſentiam et vinum medicatum exinde parare docet, aſſeritque, ſe puerum decem annorum Caſ. I. vndecim ſeptimanarum ſpatio ab epilepſia diuturna et vehemente ſo-

lius eſſentiae ope penitus liberaſſe; puellam vero quindecim annorum, Caſ. II. eodem morbo vltra biennium laborantem, eadem ratione reſtituere non potuiſſe. Melancholicam contra ſex et triginta annorum Caſ. III. eadem eſſentia, excitato largiſſimo menſtruorum fluxu, et copioſo vrinae profluuio, perfecte reſtituit. Febrem quoque intermittentem binorum infantum, nec non pueri decem annorum, Caſ. IV. et V. ventre inſimul a longo tempore tenſo et magno laborantis, puluere radicis dictamni albi feliciſſime fugauit. Eodem quoque remedio Caſ. VI. puellam, ventre duro magnoque praeditam, et Caſ. VII. puerum octennem, a vermibus, addito interdum puluere radicis ialappae, prorſus liberauit. Caſ. VIII. feminae quinque et triginta annorum menſtrua, quibus biennium caruerat, ſex ſeptimanarum ſpatio integre reſtituit. Feminam vero Caſ. IX. ſeptem et viginti annorum fluore albo inueterato et menſtruis irregularibus, cum moleſta hypogaſtrii tenſione laborantem, eodem puluere alleuauit quidem, menſtrua autem magis regularia reddere non potuit *). In appendice tandem cicutae bonos, repetitosque, etiam in vlcere ſinuoſo pedis ſiniſtri Ill. VAN SWIETEN, effectus, reliquorumque remediorum ſuorum commemorat atque collaudat.

*) Puluerem radicis dictamni albi in ciendo menſtruorum fluxu, imminuendoque infantum abdomine magno, duro, tenſo, quidpiam valere, nos ipſimet iam aliquoties experti ſumus.

XIV.

Journal de Médecine, Chirurgie, Pharmacie, etc. par Mr. A. ROUX, Docteur Regent de la Faculté de Medecine de Paris, etc. Tome XXV. à Paris, 1766. chez Vincent. 8. Alphab. 1. plag. 13. Tome XXVI. 1767. Alphab. 1. plag. 13. tab. aen. 1.

i. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam, cet. pertinens. Auctore Cl. A. ROUX. Tomus XXV et XXVI.

Menſe iulio 1766. haec inprimis notatu digna videntur. Tom. XXV.

4. *Obſeruationes* Cl. LE MOYNE *de efficacia cataplaſmatis cicutae et decocti radicis lapathi in tumoribus et vlceribus mammarum.* Hoc cataplaſma componit Cl. Auctor e cicuta, auena excorticata, farina hordei ac decocto lapathi, idque mammis vlceroſis applicat, ſimulque vſum decocti lapathi cum lacte commendat, atque hoc modo tres feminas feliciter ſanauit. p. 34.

5. *Obſeruatio* Cl. DAUNON *de vulnere capitis cum fractura ac depreſſione vtriusque laminae oſſis frontis.* Virum octo et viginti annorum, cui diſruptum eſt ſclopetum intra manus, vulnerauit pars tubi ſclopeti ad frontem. Nulla interea paſſus eſt ſymptomata, praeter paralyſin momentaneam brachii et cruris ſiniſtri. Altero die dilatauit Cl. Auctor vulnus, ac vidit, depreſſam eſſe partem oſſis frontis. Exemtis itaque ſenſim fruſtulis oſſeis quindecim ac rite tractato hoc vulnere, tandem exfoliatio durae matris ſecuta eſt, oriebatur callus, et vulnus intra decem hebdomadas cicatrice clauſum eſt. p. 38.

p. 46. 6. *Obſeruatio de ſublata epilepſia vſu cauſticorum*, a Cl. ROCHARD *communicata.* Puero quatuordecim annorum, ſcabie et creberrima epilepſia laboranti, applicauit Cl. Auctor cauſtica ad nucham et brachia, ſimulque dedit apta remedia interna. Suppuratione itaque diu ſeruata, vtrumque malum tandem victum eſt et aeger conualuit.

p. 71. 9. *Obſeruatio de vlcere veſicae*, a Cl. MARTIN. Vir ſatis robuſtus incidit in febrem, qua ſuperata, acceſſit iſchuria, in dies creſcens cum peſſimis ſymptomatibus. Cl. Auctor tandem accerſitus, cathetere ſaepius eduxit vrinam, dedit clyſmata emollientia, venamque ſecauit et ſemicupia adhibuit. Tandem multum puris vrinae ſe admiſcuit, et vlcus veſicae prodidit. Iniecit itaque aquas Balarucenſes. Acceſſit poſtea febris vehementiſſima, per octo et quadraginta horas perſiſtens, cum largiſſimis et foeditiſſimis ſudoribus, qua ſuperata, aeger recuperauit mingendi vim et conualeſcens noſocomium reliquit.

Menſe auguſto

p. 174. 9. *Obſeruatio de vulnere colli* Auctore EODEM. Miles ad cartilaginem thyroideam tantopere vulneratus eſt, vt ſumtus potus ſaepius e vulnere emanaret. Cl. Auctor hoc vulnus apte tractauit, ac tandem eius coalitio ſecuta eſt. Attamen breui poſt denuo ruptum eſt et aegrum e vita ſuſtulit. Cadaveris diſſectio oſtendit, cartilaginis thyroideae alam dextram eſſe perforatam, eiusque membranam internam diuiſam ac diuulſam.

p. 177. 10. *Obſeruatio de contrafiſſura cranii in parte oppoſita, quam ſecutus eſt abſceſſus cerebri ſub fractura, et ſanguinis extrauaſatio in loco contuſionis*, a Cl. NOLLESON. Quidam vulneratus eſt ad os parietale dextrum, ac ſtatim incidit in deliquium animi,

mi, cum haemorrhagia oculorum, aurium et narium, motusque corporis interceptione. Cum venaesectio repetita, clysmata et fomentationes abdominis nihil efficerent, trepanatione ossis parietalis vsus est Cl. Auctor, et, sanguine extrauasato educto, symptomata cessarunt. Attamen eadem redierunt post quinque dies, et accessit lethargus, febris ac phrenitis. Cl. Auctor itaque metuit, contrafissuram factam esse, vtpote quod dolor percipiebatur ad os parietale oppositum. Adhibito ideo ibidem modiolo, multum puris inde effluxit, ac aeger intra triginta dies pristinam recuperauit sanitatem.

Mense septembri

2. *Obseruatio de grauiditate coniuncta cum anasarca, erysipelate, vlcere phagedenico, et inflammatione intestinorum atque deiectione perpetua*, Auctore Cl. GUINDANT. Femina quatuor et triginta annorum laborabat leucophlegmatia totius corporis, erysipelate ac vlcere cruris, et abdominis tumore ac dolore, idque iam per quatuor menses. Cum catamenia iam per aliquot tempus essent suppressa: Cl. Auctor suspicabatur grauiditatem, et fetum iam mortuum esse, hinc vasa iliaca premi, atque haec symptomata excitari. Adhibuit itaque fomenta abdominis et cruris, simulque interne dedit oleum amygdalarum, idque optimo cum successu. Peperit enim paulo post aegra foetum mortuum, sine doloribus magnis, ac sine praegressis aquis. Cum lochia retinerentur, suasit emmenagoga, eorumque vsu mox restituebantur. Potu deinde aquae frigidae incidit aegra in asphyxiam et syncopen, sed, sumtis remediis cardiacis, ac vsu cremoris tartari, paulo post sanitati plane est restituta. p. 206.

3. *Epistola* Cl. ROBIN ad Cl. POSTEL DE FRANCIERE, *de taenia*. Aeger febre putrida p. 222.

verminoſa laborans, ante mortem aliquoties particulas taeniae eiecit. Cadauere eius diſſecto, viſus eſt ad pylorum aceruus compactus, albus, pomi magnitudine, et taenia, quae ab hoc aceruo vſque fere ad anum ſe extendebat in tractu inteſtinorum. Longitudo huius taeniae atque acerui euoluti aequabat circiter triginta pedes. Praeterea ſimul inueniebantur aliquot lumbrici. Hinc patet, taeniam non omni ex parte vermem ſolitarium eſſe dicendam.

p. 234. 6. *Epiſtola* Cl. DAUNON ad Cl. ROUX, *de haemorrhagia periodica pollicis pedis dextri, quae acceſſit poſt vlcus cancroſum.* Vir octoginta quinque annorum, dolore capitis acuto et otalgia affectus eſt cum febre; acceſſit deinde ſaliuatio copioſa et reſpirationis ac deglutitionis difficultas inſignis. Vuula erat maxime relaxata, tonſillae fere gangraenoſae, aderatque vlcus cancroſum ad baſin linguae. Omnia haec incommoda aptis remediis externis et internis feliciter ceſſabant, excepto vlcere, vtpote quod margine calloſo incluſum erat. Attamen cuncta haec mala denuo aegrum vexabant, donec, poſt magnum dolorem pollicis pedis dextri, e macula eius rubra ſanguis arterioſus copioſe prorupit, atque tum aeger conualuit. Eadem haemorrhagia per viginti menſes periodica facta eſt, eademque ſymptomata ſemper ſedauit. Sed aeger tandem ex virium imbecillitate mortuus eſt.

p. 242. 7. *Obſeruatio de fractura oſſis parietalis, in qua ab ictu gladii portio magna oſſis demta cerebrumque denudatum eſt*, a Cl. NOLLESON. Militi, cui ictu gladii exſciſſa erat portio pericranii et oſſis parietalis non mediocris, denudauit imperitus chirurgus cerebrum, ac vulnus puluillis, aqua vitae imbutis, deligauit. Altero die ſecauit prominens e vulnere cerebrum, et ſimilibus puluillis vulnus compreſſit.

Hinc

Hinc orta ſunt grauiſſima ſymptomata, donec accerſitus Cl. Auctor pericranium variis locis incidebat, puluillos ſiccos vulneri imponebat, et apta eius tractatione exfoliationem oſſis, tandemque plenariam vulneris cicatriſationem conciliabat.

10. *Obſeruatio de fractura complicata cruris cum gangraena*, a Cl. LEAUTAUD. Operarius ſex et triginta annorum, in rixa fregit crus dextrum in media parte tibiae, vt os integumenta perforaret ad quatuor digitos vſque. Dilatauit Cl. Auctor vulnus, ſerra ademit partem oſſis prominentem, atque aptam reductionem ſuſcepit. Nihilominus acceſſit gangraena octauo die, ac perpetuo increuit. Separata igitur parte corrupta, vſus eſt embroche ſpiritus vini camphorati, tinctura croci et aloes, ac eſſentia balſamica STAHLII, cet. quibus remediis tandem oſſa coaleſcebant vulnusque cicatrice ita claudebatur, vt aeger hoc crure optime vti diſceret. p. 254.

13. *Epiſtola* Cl. MARECHAL DE ROUGERES *de vulnere capitis cum fractura oſſis frontis, ſanato ſine auxilio trepani.* Puer decennis hoc malo laborabat, atque cum eius pater trepani applicationem plane repudiaret, nihil remedii adhibitum eſt, praeter linteum carptum, aqua vitae diluta imbutum, quo ſenſim exfoliatio oſſis, tandemque plenaria ſanatio facta eſt. p. 275.

Menſe octobri

3. *Epiſtola* Cl. YSABEAU, *de muliere nonagin-ta duo annorum, cui prorupit dens molaris.* Quae cum iam diu paſſa eſſet magnos dolores maxillae ſuperioris, tandem vidit, ex alueolo tertii dentis molaris excreſcere dentem permagnum. p. 316.

7. *Obſeruatio de haemorrhagia vteri, conuulſioni-bus ſtipata, et vſu aquae frigidae curata*, a Cl. GAUTHIER. Inuoluit enim hanc feminam pene moribundam p. 331.

bundam panno, aqua frigida imbuto, ac ſtatim ceſſabat haemorrhagia, et conuulſiones tollebantur, aegraque conualuit.

p. 359. 9. *Obſeruatio de acu deglutita, atque in ventriculo remanſa, ope braſſicae recentis et emetico ſtatim reiecta*, a Cl. LE TUAL. Femina quaedam cum cibis deglutiuit acum, ac ſenſit magnos dolores ventriculi, qui, ſumto potu aquae calidae, magis increſcebant. Acceſſit tandem febris cum ſudore frigido et morbus conuulſiuus. Cum iam inſtaret ventriculi inflammatio, Cl. Auctor aegrae venam brachii et paulo poſt venam pedis ſecauit. Secabat deinde folia braſſicae tranſuerſim, eaque in aqua, butyro mixta, paululum coquebat, ſimulque ſoluebat decem grana tartari emetici in aqua calida. Deglutiuit itaque aegra braſſicam ſic praeparatam, nec antea maſticauit, et poſtea ſumſit emeticum, ac ſtatim reiecit folia braſſicae, et dolores imminuebantur. Cum Cl. Auctor timeret, malum nondum ſatis eſſe ſuperatum, idem remedium denuo repetiit, atque acus tandem vna cum braſſica feliciter eſt reiecta, et aegra plane conualuit.

p. 364. 10. *Obſeruatio chirurgica de ſarcomate vteri, quod ſpeciem polypi habebat, atque de veris remediis, quae ad eius medelam ſint adhibenda*, a Cl. NOLLESON. Femina quatuor et viginti annorum poſt dolores abdominis ſenſit, protrudi ex vtero corpus compactum et craſſum, quod chirurgus examinauit et pro polypo vteri agnouit, cuius pedunculus erat breuis, durus et ambitu ſex pollicum. Ligauit itaque collum huius tumoris filo ſericeo, atque ligaturam in dies magis conſtrinxit, dieque 22do polypus ſponte ſub ligatura delapſus eſt, ac ſenſim vterus priſtinam vim recuperauit. Exſtirpationem horum tumorum maxime diſſuadet, ob haemorrhagiam nimiam hinc metuendam.

Menſe

Menſe nouembri

3. *Epiſtola* Cl. MARTEAU ad Cl. PETIT, *ſiſtens obſeruationem de grauiditate diu vltra conſuetum tempus prolongata.* Femina viginti et ſex annorum concepit menſe nouembri, fetus menſe martio vitam ſuam motibus prodidit, et menſe auguſto iam dolores ad partum inceperant, ſed non prius, quam medio maio anni ſequentis, puellam viuam peperit, vt itaque haec grauiditas per octodecim menſes continuauerit. p. 423.

4. *Obſeruatio de ſuperfetatione felis* a Cl. MARRIGUES. Felis peperit quinque pullos, quibus ademtis et necatis, nihilominus lac remanſit in vberibus matris, ac tumor relictus eſt in abdomine in dies increſcens, donec haec felis poſt tres hebdomadas denuo peperit pullum, eumque nutriuit. p. 432.

5. *Obſeruatio de fractura complicata oſſium cranii*, a Cl. POMMIER. Operarius ſaxo tantopere vulneratus eſt ad caput, vt ſtatim ſenſibus priuaretur. Inciſo pericranio, apparuit fractura partis oſſis frontis, oſſis parietalis ſiniſtri et portionis ſquamoſae oſſis temporum, ibique ſimul aliquae partes depreſſae erant. Cl. Auctor trepanauit os frontis, ac tandem apta medela et accurata diaeta exfoliatio oſſium facta eſt, et menſe octauo vulnus cicatrice claudebatur, ac aeger perfectam ſanitatem recuperabat. p. 435.

6. *Obſeruatio de celeri effectu corticis Peruuiani in dolore periodico*, a Cl. BERTRAND. Femina laborabat iam per octodecim annos dolore periodico ſupercilii, qui oculum vnum et regionem temporalem ſenſim occupabat, alter vero oculus integer erat. Hic dolor incipiebat quotidie hora nona matutina et hora ſeptima veſpertina ceſſabat. Omnibus remediis iam fruſtra tentatis, adhibuit tandem Cl. Auctor vſum corticis Peruuiani, huiusque ope hunc morbum depulit. p. 442.

8. *Ob-*

p. 449. 8. *Obſeruatio de vulnere parotidis ſanato ſine fiſtula*, a Cl. MARTIN. Tricenarius a vitro rupto eſt vulneratus, vulnere obliquo, ab angulo maxillae inferioris dextri lateris vſque ſuper arcum zygomaticum ita protenſo, vt maſſeter et parotis ex parte diſcinderentur. Margines cutis forfice incidit Cl. Auctor, et fines partium diſciſſarum arcta et apta ligatura vnit, ſimulque venam ſexies ſecauit. Altero die intumuit quidem inferior pars parotidis, attamen non orta eſt fiſtula, ſed hoc vulnus rite tractatum certa hebdomade cicatrice clauſum eſt, et aeger ſanitatem recepit.

p. 454. IO. EIUSDEM *obſeruatio, de vulnere oculi, cum ſymptomatibus peculiaribus coniuncto.* Miles octo et viginti annorum vulneratus eſt ad oculum ſiniſtrum, et altero demum die in noſocomium ſe contulit. Tunc palpebra viſa eſt nigra ac tantopere tumida, vt bulbus oculi vix detegi poſſet, et tunica coniunctiua maxime intumeſceret. Aeger interea vomitu, conuulſionibus et deliriis vexabatur, neque tamen detegi poterat laeſio cranii; tandem acceſſit hemiplegia lateris dextri, quae, reſtituto tandem oculo laeſo, tamen ex parte continuabat. Itaque putat Cl. Auctor, inſtrumentum laedens, per fiſſuram orbitalem ſuperiorem tranſiens, laeſiſſe duram matrem ac cerebrum, vnde ortae ſunt conuulſiones, deliria et hemiplegia.

p. 458. 11. *Obſeruatio de exſtirpatione plenaria vteri, ſphacelo affecti*, a Cl. ANSELIN. Femina quadraginta quatuor annorum, laborabat prolapſu vteri per aliquot annos. Vltima grauiditas ob inſignem diarrhoeam cum teneſmo erat moleſtiſſima. Accedente partu, prolapſus vteri hunc maxime laborioſum reddidit. Cum enim ligamenta vteri valde relaxata eſſent, vterus fere totus e vagina prominebat, eiusque orificium difficillime dilatabatur. Tandem

cum

cum dolores ad partum fetum eiicerent, vterus simul inuersus est, quo reducto, lochia rite fluebant. Post aliquot dies subito accessit suppuratio copiosa et foeditissima cum febre, pulsu debili et sudore frigido, quae gangraenam minabantur. Optima quidem adhibita sunt remedia, minime tamen sphacelo vteri satis prospicere poterant, ac ipse vterus quindecimo die vndique se exfoliabat. Vagina erat sana vsque ad vteri orificium, atque tunc sustentaculo destituta, plane se inuertebat, et e pudendis pendebat ad quinque pollices vsque, ac sistebat tumorem, oui gallinae Indicae magnitudine, qui deinde carcinomate occupabatur. Ligauit itaque Cl. Auctor hunc tumorem ad basin vaginae et ligaturam sensim magis constrinxit, eumque septimo die sine haemorrhagia scalpello exstirpauit. Vsu tandem corticis Peruuiani, remediis cardiacis, et iniectionibus antisepticis, haec femina intra septem hebdomadas plane conualuit.

12. *Epistola* Cl. TONDU, *sistens obseruationem de emphysemate sanato, ope incisionis.* Iuuenis octodecim annorum curru vehens, fugientibus equis, hinc delapsus, simulque diu protractus, et a curru laesus est. Tumefactus erat a capite vsque ad pedes, ac difficili respiratione, singultu et dolore acuto regionis hypogastricae vexabatur. Thorax et abdomen peculiarem edebant sonum. A parte media pectoris lateris dextri vsque ad os ileum, et ab vmbilico vsque ad vertebras aderat sugillatio maxime rubra. Huius centrum incidit Cl. Auctor ad sex vel septem pollices vsque, et e contextu celluloso parum sanguinis multumque aeris exiit. Apta tandem medela adhibita, hoc emphysema sensim imminutum est, et aeger intra duodecim dies plane conualuit. p. 464.

Mense

Menſe decembri.

p. 509. 2. *Obſeruatio de tetano* a Cl. GUINDANT. Virgo viginti annorum rigiditate laborabat totius corporis, cum reſpiratione difficili, pulſu duro, motu conuulſiuo maxillae inferioris et periodica contractione dentium, vt vix deglutire poſſet. Accedebant permagni dolores renum et ſumma inquietudo, attamen excretio alui et renum nunquam intercepta eſt in hoc tetano. Plurimis remediis iam fruſtra tentatis, dedit Cl. Auctor oleum amygdalarum dulcium cochleatim, ac ſpinam dorſi inunxit balſamo neruino, et lac, chaerefolii decocto mixtum, pro potu ſuaſit. Quae cum parum efficerent, applicauit deinde ſuris veſicatoria, atque his morbum hunc pertinaciſſimum tandem plane ſuperauit, aegramque ſanauit.

p. 518. 4 *Epiſtola* Cl. BAYLE ad Cl. ROUX, *ſiſtens deſcriptionem fetus neonati vivi, qui cerebro erat deſtitutus.* Erat partus praematurus et laborioſiſſimus, atque per aliquot minutas tantum vixit. Ad primam colli vertebram luxatam fractamque, et ad apophyſin baſilarem haerebat folliculus oui magnitudine, ac duro inuolucro obdutus, maſſam pulpoſam continens, quae cerebellum ſiſtebat. Cranium cerebro erat deſtitutum et vacuum, nec niſi glandula pituitaria, nucis moſchatae magnitudine, inſtructum. Medulla ſpinalis non erat mutata. Oculi ex orbitis eminebant; maxilla ſuperior duos dentes inciſiuos oſtendebat. Pulmones, aquae innatantes, vitam fetus declarabant. Viſcera abdominis a ſtatu naturali non recedebant. Capſulae ſuprarenales maximae erant et renes obtegebant; vrether alteruter ex hac capſula oriebatur, calami ſcriptorii craſſitie, atque continebat calculum.

p. 532. 6 *Epiſtola* Cl. LE CLERC, *ſiſtens obſeruationem de dilaceratione vteri in partu, quam ſequebatur mors matris*

et

et infantis. Femina quadraginta quatuor annorum ſex hebdomadas vltra tempus conſuetum vtero geſtabat fetum, ac ſubito ſenſit vehementem dolorem, quo rumpebantur aquae et magna haemorrhagia ſequebatur. Fetus haerebat ad collum inter oſſa pubis et prominentem partem ſuperiorem oſſis ſacri, vt nullo modo pari poſſet, ac verſus os iſchium magna percipiebatur dilaceratio vteri. Mater vero viginti quatuor horis poſt rupturam vteri mortua eſt. Sectio cadaueris non erat conceſſa.

8. *Relatio* Cl. JOLY *de ſarcomate polypoſo et ſcirrhoſo vteri.* Femina quadraginta quinque annorum poſt ſuppreſſionem menſtruorum, per octo menſes continuatam, paſſa eſt haemorrhagiam magnam, cum febre, haemoptoe, haemorrhagia narium, eryſipelate et abſceſſu variarum partium, inprimis crurum, vbi abſceſſus gangraenoſi fiebant. Acceſſit paulo poſt denuo haemorrhagia vteri, atque tum eduxit Cl. Auctor ſarcoma polypoſum et ſcirrhoſum, hydatidibus repletum, quod decem libras pondere aequabat, et deinde aegram apta medendi methodo ſanitati in ſpatio trium menſium reſtituit. p. 551.

In Tomo XXVI ſequentia inueniuntur, quae hic recenſeri merentur. Tom. XXVI.

Menſe ianuario 1767:

4 *Epiſtola* Cl. DE ROUGERES, *fiſtens nonnullas obſeruationes, de uſu humectantium in morbis neruorum.* Septem hic producuntur obſeruationes, quae partim oſtendunt, quaenam damna attulerit intermiſſio humectantium in variis morbis, partim declarant, quam magna vtilitate interdum adhibita ſint. Obſ. 1. Etenim primiparae poſt magnos labores ope vnci eductus eſt infans mortuus, cum inſigni p. 44.

insigni laesione vaginae, recti et perinaei, vt tandem harum partium gangraena periret aegra. Obs. 2. Alia peperit infantem mortuum, et lochia suppri mebantur, quibus restitutis, accessit cephalalgia pertinacissima. Adhibitis vero pediluuiis et demulcentibus remediis, haec femina est sanata. Obs. 3. Alia grauida post iram incidit in motus conuulsiuos ac periit. Dissecto cadauere, repertus est infans mortuus, ouaria hydrope affecta, dura mater exsiccata, ac multum seri, in cerebro extrauasati. Obs. 4. Puerpera, suppressis lochiis, sumsit decoctum hyssopi, sed frustra; post vsum vero remediorum diluentium et demulcentium lochia sunt restituta, aegraque conualuit. Obs. 5. Alia, quae ab ira sibi suppresserat lochia, simili modo sanitatem recuperauit. Obs. 6. Sartor laborans perpetua cephalalgia, dolore ventriculi, deliquiis animi et palpitatione, balneis frigidis, vsu seri lactis et aposematum humectantium conualuit. Obs. 7. Femina, affectionibus vaporosis vexata, mero vsu aquae frigidae curata est.

p. 52. 5. *Obseruationes de vsu humectantium in morbis spasmodicis*, a Cl. BRUN. His enim sustulit Cl. Auctor cephalalgiam, malum hypochondriacum, malum hystericum, tympanitem, cardialgiam, oedemata periodica, febrem continuam, vomitum perpetuum, lochia retenta et alios morbos.

p. 74. 7. *Obseruatio de hydrocephalo*, a Cl. DESLANDES. Abdomen puerperae maximopere erat extensum; rupit itaque Cl. Auctor vesicam aquarum, ac profluxit ingens aquae copia; tandem cum extraheret fetum cum pedibus, restitit eius caput ob tumorem mollem, rotundum, permagnum, qui vertebrae quartae dorsi adhaerebat. Immisit itaque manum vtero, dirupit tumorem, e quo aquae emanabant, ac ita absoluit partum. Hic infans mortuus

tuus laborabat hydrocephalo et labio leporino cum palato fisso; abdomen vnum tantum renem continebat, qui duplicem magnitudinem habebat, ac duobus vreteribus erat instructus. Icon huius fetus hic adiicitur.

Mense februario.

4. *Obseruatio de fluxu catarrhali vesicae* a Cl. LANDEUTTE. Vir viginti nouem annorum post refrigerium incidit in febrem, quae quadraginta octo horas continuabat, et sudore copioso finiebatur. Aeger simul laborabat incontinentia vrinae, quippe quae interea inuito stillabat guttatim e vesica, tandem accessit dysuria et dolor magnus in regione vesicae. Cl. Auctor adhibuit remedium laxans, deinde decoctum demulcens et fomenta externa. Vrina excreta maxime pituitosa erat. Apta vero diuretica, per aliquot tempus adhibita, aegrum tandem plane refecerunt. p. 136.

7. *Obseruatio, quae demonstrat, fracturas imperfectas ossium cylindricorum fieri posse*, a Cl. RENAULT. Quidam ab equo delapsus est, atque compressit pondere totius corporis brachium dextrum. Cum ibi per tres hebdomadas sentiret dolores, tandem humerus fractus est sub collo per leuissimum motum, et fasciis atque quiete rursus coaluit. Cum vero vires brachii a lapsu praegresso vsque ad tempus fracturae in dies decreuissent: credit Cl. Auctor, hanc fracturam iam inceptam fuisse a lapsu ipso, nec statim sanari potuisse, cum aeger perpetuis itineribus et equitationibus a quiete detineretur. Suadet itaque, vt in simili casu pars, in qua ob dolorem persistentem suspicabatur Cl. Auctor fracturam minus perfectam, ita tractetur, quasi os ipsum esset fractum. p. 159.

8. *Obseruatio de sarcomate*, a Cl. TELMONT DE SAINT IOSEPH. Hoc sarcoma insignis magni- p. 164.

nitudinis haerebat ad inguen ſiniſtrum viri, ac partim durum, partim molle erat, atque excitabat dolores colicos et vomitus. Praegreſſa erat hernia inguinalis, ac deinde enatus eſt hic tumor ſenſim increſcens. Repudiabat aeger eius exſtirpationem, ac incidit poſtea in pleuritidem, et ſenſit diriſſimos dolores in hoc tumore, quem occupabat ex parte gangraena, vnde effluebat materia foetidiſſima. Dilatauit Cl. Auctor ſinum tumoris, et exſtirpauit partes eius, gangraena corruptas, et altero die denuo excidit ſcalpello tantam copiam ſubſtantiae tumoris, vt fere ſex libras pondere aequaret. Attamen cum gangraena iam occuparet viſcera abdominalia, periit aeger ſexto die poſt exſtirpationem. Subſtantia baſeos tumoris erat carnoſa, et muſculis abdominis adhaerebat.

p. 177. 12. *Obſeruatio de abſceſſu inſigni, ſine inciſione ſanato*, a Cl. RUBY. Vir laeſus eſt ictu ad baſin maxillae inferioris, in cuius muſculis oriebatur abſceſſus. Cum vero interius ſponte exiret pus variis locis, repudiauit Cl. Auctor inciſionem, et potius vſus eſt leui compreſſione externa huius abſceſſus ad euacuandum pus, et, apto regimine ſeruato, aeger poſt octo dies conualuit.

Menſe martio.

p. 223. 2. *Obſeruatio de tetano vero*, a Cl. PUIOL. Virgo ſedecim annorum ſenſit rigiditatem maxillae inferioris, quae ſenſim occupabat reliqua membra, donec totum corpus tantopere rigeſcebat, vt vix aliquid deglutire poſſet, nec clyſmata amplius immitti poſſent. Hunc tetanum ſenſim diſſipauit Cl. Auctor crebris venaeſectionibus, clyſmatibus, inunctionibus et potionibus ſudoriferis. His accenſa eſt febris, quae tandem ſudoribus morbum vinxit.

p. 240. 5. *Obſeruatio de iſchuria veſicae, excitata per fabam vrethrae immiſſam*, a Cl. COSTE. Cum ruſticus

poſt

poſt manuſtuprationem immiſiſſet rigidae vrethrae fabam, merae libidinis cauſa, eamque non amplius retrahere poſſet, orta eſt iſchuria cum peſſimis ſymptomatibus. Poſtquam aeger faſſus erat, quae fecerat, Cl. Auctor incidit vrethram, atque eduxit fabam, ac vrina ſtatim copioſe emanauit, et aeger paulo poſt conualuit.

6. *Obſeruatio de carie a cauſſa externa*, Auctore Cl. DAUNOU. Iuuenis nouendecim annorum ſibi ictu laeſit crus dextrum ad mediam tibiam, ac ſenſit dolores inſignes. Impoſito cataplaſmate reſoluente, dolor ceſſit, ſed humerus ſiniſter intumuit, atque adhibito ſimili auxilio, dolor et tumor in ſcapulam dextram migrarunt, tandem ad crus laeſum redierunt. Acceſſit deinde febris continua et diarrhoea. Dilatato vulnere cruris, effluxit ſanies copioſa et caries magnae partis tibiae ſe declarauit. Apta vero medela ſenſim exfoliatum eſt os tibiae, ac denuo regeneratum, vt aeger tandem hoc crure priſtino modo vti poſſet. p. 244.

7. *Obſeruatio de vlcere cancroſo labii inferioris*, ap Cl. BAYLE. Ruſticus diu paſſus eſt hoc malum, quod Cl. Auctor tandem ſcalpello feliciter exſtirpauit, ſed fatetur, haemorrhagiam rami arteriae maxillaris externae diſciſſi hanc operationem feciſſe maxime moleſtam. p. 256.

Menſe aprili.

3. *Epiſtola* Cl. LANDEUTTE ad Cl. RICHARD DE HAUTESIERK *de herpete*. Diuidit Cl. Auctor herpetem in *farinoſum*, *volantem*, *miliarem et viuum*, qui vel *erodens* et humidus eſt, vel *cancroſus*. *Farinoſus* leuiter attollit cutem, hanc rubefacit, veſiculasque paruas, cum leui calore coniunctas, excitat, quibus exſiccatis, cutis ita deſquamatur cum pruritu, quaſi farina obtecta eſſet. *Volans* vt plurimum faciem p. 335.

ciem occupat, vbi excitat puſtulas paruas, quae ſuppurant et celeriter exſiccantur. *Miliaris* ſiue cruſtoſus, eſt aceruus puſtularum, quae inprimis occupant lumbos, pectus, genitalia et inguina, magnumque producunt pruritum. Puſtulae deinde in cruſtas tranſeunt difficillime tollendas. Herpes *vium* eſt vel *erodens*, cuius puſtulae mutantur in cruſtas humidas, quae tegunt vlcuſcula contextus celluloſi cutis; vel *cancroſus*, vbi ſanies e puſtulis et cruſtis profluit, vicinas partes corrodit, ac vlcera calloſa reddit. Herpes inprimis ab acrimonia bilioſa et muriatica gignitur, quae lympham inſpiſſat. Remediis purgantibus, balneis, aquis mineralibus, vel potu diluente, et inprimis cura lactis herpetem depellere ſolet Cl. Auctor. Pilulas e cicuta in hoc morbo maxime profuiſſe, ipſe ſaepius expertus eſt.

Menſe maio.

p. 430. 4. *Obſeruatio de vertigine a vermibus excitata*, a Cl. ROZIERE DE LA CHASSASNE. Virgo quadragenaria incidit in vertiginem, quae ſenſim magis increſcebat, ac viſum ipſum imminuebat. Cum, praeter reliqua ſymptomata, pruritus narium inſignis ſimul adeſſet, Cl. Auctor vermes ſuſpicatus eſt. Dedit itaque infuſum foliorum ſennae cum pulpa tamarindorum, ac ſtatim reiecit aegra duos vermes magnos ex ore, ac repetito eodem remedio, vertigo plane eſt diſſipata.

p. 434. 5. *Relatio de effectibus vaporum carbonum*, a Cl. NACHET. Serui duo, in conclaui anguſto dormientes, in quod carbones ardentes immiſerant, altero die iam in agone inueniebantur, inprimis alteruter. Stupore enim affectus erat, ſenſu priuatus, ac vomitu reiecerat materiem bilioſam; pulſus erat parvus, reſpiratio difficilis, ac ſimul aderat frigus extremitatum, ſtertor, et corporis rigiditas. Vt itaque

Cl.

Cl. Auctor reſtitueret hos aegros, illos aeri expoſuit, ac pectori et abdomini creberrime impoſuit lintea aqua frigida imbuta, atque extremitates fricavit, ac ſimul dedit ſaepius ſpiritum ſalis ammoniaci volatilem, et liquorem anodynum HOFFMANNI, quo quidem initio excitabantur motus conuulſiui, ſenſim autem vires vitales hinc augebantur, et applicata venaeſectione atque clyſmate acri, facta eſt inſignis euacuatio, et aegri ſenſim plane conualuerunt.

7. *Obſeruatio de vulnere, quod cauitatem abdominis penetrabat, cum duplici diſciſſione inteſtini coli, ope cultri facta*, a Cl. LAFFEY. p. 448. Vinitor vulneratus eſt cultro in regione lumbari ſiniſtra, et magna pars inteſtinorum ex abdomine propendebat. Chirurgus accerſitus dilatauit vulnus ad reponenda inteſtina prolapſa, ac vidit, colon in duobus locis eſſe pertuſum, nimirum in media parte et quatuor pollices ſuper hanc laeſionem, atque ex his orificiis exiiſſe foeces et octo lumbricos. Vſus itaque eſt ſutura pellionum, atque reductis inteſtinis, gaſtrorapbia vulnus vniit, idque, impoſitis puluillis, vino tepido imbutis, deligauit. Crebris tandem adhibitis clyſmatibus, fomentis abdominis et accurata diaeta, hoc vulnus coaluit, ac aeger in triginta ſeptem diebus plane conualuit.

8. *Obſeruatio de laeſione carotidis externae dextrae ex vulnere lateris dextri colli, ope cultri facto*, a Cl. CAESTRYCK. p. 452 Vir cultro laeſus eſt in latere dextro colli, ac ſimul diſciſſa eſt carotis dextra externa, vt inſignis haemorrhagia oriretur, nullo modo compeſcenda. Cl. Auctor tandem accedens aperturae corotidis impoſuit agaricum praeparatum et pannos gradatos, aptamque addidit faſciam atque diaetam humectantem praeſcripſit, et poſt aliquot dies hoc vulnus cicatrice clauſum eſt. Cum vero aeger iuſto citius negligeret compreſſionem aptam

huius loci, ſenſim ibi oriebatur aneuryſma, quod vero diu applicata compreſſione tandem plane diſparuit.

p. 455. 9. *Obſeruatio de abſceſſu cerebri, quem excitabat particula ab interna lamina oſſis parietalis a gladio laeſi, ſeparata*, a Cl. NOLLESON. Miles laeſionem oſſis parietalis ſiniſtri accepit gladio; cum vero integumenta nec eſſent diſciſſa, nec niſi contuſio exterius appareret, laeſio haec neglecta eſt. Attamen ſeptimo die acceſſit febris inſignis cum oedemate faciei. Incidit Cl. Auctor contuſam pericranii partem, ſed fruſtra, atque increuit febris cum deliriis, vomitu et conuulſionibus coniuncta. Venaeſectio repetita, adeoque ſectio venae iugularis nihil efficiebant. Applicauit itaque oſſi parietali modiolum, ac vidit, laminae internae partem eſſe ſeparatam, ac in cerebro haerere, qua exemta et vulnere rite tractato, aeger tandem plane ſanatus eſt.

p. 459. 10. *Obſeruatio de duobus polypis in virgine partim ex naribus, partim ex ore exſtirpatis*, a Cl. ICART. Puella tredecim annorum iam a pueritia polypo narium et palati laborabat, ac iam febre lenta et ſumma corporis macie vexabatur. Exſtirpatio vtriuſque polypi feliciter ac ſine magna haemorrhagia facta eſt. Attamen quarto die acceſſit enormis haemorrhagia, nullo modo compeſcenda, donec aegra incidit in ſyncopen. Applicauit itaque Cl. Auctor turundas ſtipticis imbutas, ac ſenſim bona vulnerum ſuppuratio ſecuta eſt, et aegra poſt tres hebdomadas plane conualuit.

Menſe iunio.

p. 528. 6. *Noua methodus lithotomiae per apparatum altum, praeſertim in feminis adhibenda et demonſtrata in ſcholis mediciis*, a Cl. BASEILHAC. Aegra nimirum, in ſitum horizontalem poſita, incidit Cl. Auctor

ctor integumenta inter musculos pyramidales, a media parte regionis hypogastricae vsque ad synchondrosin ossium pubis, acu deinde ac postea scalpello vesicam vsque ad collum aperit ad ductum specilli, per vrethram immissi, tandem introducit digitum ad calculum detegendum, quem denique forcipe eduxit. Labia vulneris coniungit emplastro glutinante, et vrethrae immittit tubulum. Hac enim methodo lithotomiam saepissime feliciter peregit.

8. *Obseruatio de vulnere abdominis peculiari ratione curato a medico Indico, communicata* a Cl. BOURDIER. Miles sibi ipsi induxit ense vulnus abdominis, e quo exibant intestina. Quae reduxit medicus Indicus, ac, ne rursus prolaberentur, peculiari vsus est encheiresi. Separauit nimirum integumenta circa hoc vulnus a musculis, vulneri imposuit laminam plumbeam, et cutem exterius vniit sutura cruenta, ac vulnus breui tempore coaluit. Cum post aliquot tempus idem homo suspenderetur, vidit Cl. Auctor in sectione cadaueris, hanc laminam plumbeam inter musculos et integumenta quasi incrustatam esse. Fortasse haec methodus in herniotomia ad retinenda intestina vtilis esse posset, si quis hac vti auderet. p. 538.

10. *Obseruatio de lithotomia, quam praecedebant et sequebantur symptomata peculiaria*, a Cl. PAMARD. Puer vndecim annorum a calculo maxime vexabatur, ac febre lenta et macie. Educto itaque calculo ope lithotomiae, Cl. Auctor sustinuit aegrum mero decocto oryzae. Sed septimo die accesserunt variae fistulae intestini recti et vulneris, vt foeces vndique emanarent, et vulnus in vlcus mutarent. Aptis autem fomentis et iniectionibus hic puer post tres menses plane restitutus est. p. 547.

12. *Excerptum epistolae* Cl. CORDON *de tribus infantibus vnius matris, quorum pars extremitatum* p. 556.

cute erat deſtituta. Femina peperit ſex infantes, quorum prior et ſecundus ſani erant, tertius a genubus vſque ad pollices pedum, et a carpo vſque ad extremos digitos cute carebat. Quartus optime erat formatus et valens; quintus vero et ſextus ſimili modo, vti tertius, cute priuati erant. Partes denudatae ſuppurabant tertio die, atque quarto et quinto moriebantur hi tres infantes.

XV.

Traité des ſenſations & des paſſions en général & des ſens en particulier. Ouvrage diviſé en deux parties. Par Mr. LE CAT, Ecuyer, Docteur en Médecine, chirurgien en chef de l'hôtel de Dieu de Rouen, lithotomiſte, penſionaire de la même Ville, Profeſſeur demonſtrateur royal en anatomie & chirurgie, Correſpondant de l'Academie royale des ſciences de Paris, Doyen des Aſſociés regnicoles de celle de chirurgie, des Academies royales de Londres, Madrit, Porto, Berlin, Lyon, des Academies Imperiales des curieux de la nature & de Saint Petersbourg, de l'Inſtitut de Bologne, Secretaire perpetuel de l'Academie des ſciences des Rouen. T. I. à Paris 1767. 8. pl. 17. praef. pagg. 95. Tab. aen. 2. To. II. Traité de Sens en particulier. à Paris 1767. 8. 1 alph. 5. plagg. praef. pagg. 56. Tab. aen. 18. To. III. la theorie de l'Ouie, Supplement à cet article du traité des Sens. à Paris 1768. 8. pl. 19. praefat. pagg. 32. Tab. aen. 13.

i. e.

i. e.

Tractatio de ſenſationibus et paſſionibus in genere, et de ſenſibus in ſpecie. Opus phyſiologicum, auctore LE CAT. To. I. II. III.

Vltimum et diu expectatum opus eſt Cl. CAT, quem paullo poſt editionem eius perdidit eruditus orbis, illud, quod iam indicamus *). Locupletius longe, variisque ditatum nouis obſeruationibus, inuentisque extitiſſet, ni fatale, anno huius ſeculi ſexageſimo ſecundo, incendium omnia ſcripta, huc pertinentia, irreparabili damno deſtruxiſſet. A quo tempore in reſarciendis iiſdem occupatus ſolertiſſimus Auctor, vehementer doluit, ſeptuagenario ſcriptori eam vim ingenii non ineſſe, quae ad explenda talia officia requiratur. Prima itaque pars noua eſt, altera iam olim anno 1739 edita, hic non mutata, recuſa traditur, animaduerſionibus adiectis aucta, tertia, quae theoriam auditus exhibet, nunc addita demum fuit, illa vero reportauerat praemium ab academia Toloſana anno 1757. Animus erat, organorum ſenſoriorum omnium tabulas aeneas proponere, quae vero nondum ſculptae ſunt, viſcerumque hiſtorias phyſiologicas, quibus etiam carere nos iubet Cl. Auctoris mors. Quum autem hinc inde in minoribus commentariis ſuas ſibi proprias opiniones declaraſſet ille, eas etiam tantum breuiter repetiimus ſaepe, vt ratio diſquiſitionis appareat, et ex cohaerenti diſſertatione dignitas operis conſtet, ad quod iam accedimus.

Praemittitur toti operi diſſertatio de vtilitate et neceſſitate anatomes, qua in genere tantum huius ſcientiae perpenditur neceſſitas, quatenus a medicis et chirurgis illa requiri debet, nec non omnibus pe-

*) vid. Comment. noſtr, Vol. XV. p. 177.

ne hominibus aliquam eius cognitionem vtilem fore probatur. Deinde generalia phyſiologiae momenta et initia eiuſdem doctrinae primo operis tomo explanantur.

Primo nimirum Cl. Auctor de potentiis ſeu viribus oeconomiae animalis exponit, quo nomine ſolida, fluidaque, nec non fluidum, quod omnia mo-
p. 39. vet, nerueum ſcilicet, complectitur. Solidum eſt, cuius partes firmiter inter ſe cohaerentes, quieſcunt, ſimplex fibra ex glutine nutritio naſcitur, intimior partium connexio et humiditatis abſentia differentias faciunt. Ex coniunctionis ratione vaſculoſa et muſcularis fibra fit, longior breuiorque futura per ingredientem ſuccum, qui diſtendendo fibram tonum ſolidorum efficit. Nata hinc reſiſtentia, elaſticitas eſt, *organica* dicenda, a *primitiua* diuerſa, quae
p. 46. renititur ſolutioni partium componentium. Dum extrema mobilia ſolidae partis ad centrum redeunt, *contractio* eius fit, in vaſculo vero parietes alterne ad ſe inuicem accedentes et recedentes, *oſcillationem* producunt, ad quam vtramque actionem elaſticitas confert, modos in ſolidis Cl. Auctor iconibus illuſtrat, ſimulque, in quantum fluida accedere debeant,
p. 60. ſolidaque animare, docet. In fluidis autem conſiderandis eam admittit differentiam, vt *liquores* nominet, ſenſibus ſubiectos corporis animalis ſuccos, reliquos ſubtiles autem *fluida* nuncupet. Illi duplicis generis globulos habent, ſimplices et compoſitos, ſeu aquoſos tantum, et quorum mixtioni terra oleum, ſal, gummi, reſina, accedit: principia, quae ex alimentis naſcuntur. Perfectionis gradus in liquoribus diuerſi ſunt, ex chylo lac, tandemque perfectiſſimus conficitur ſanguis. Tranſparens et leuiter lacteus chylus eſt, quod multam aquam habet, fibroſam materiem et globos ſeu corpuſcula irregularia,

ria, per compreſſionem color eius mutatur, quare lac inde fit, cuius etiam moleculae maiores ſunt, plus compreſſae et rotundiores factae, globulos ſanguinis p. 70.
conſtituunt, trituratione tamen non fiunt, neq; nitro aeris colorantur, quin potius *calore vitali*, vt in ouo incubato patet, ſeu *fluido cauſtico*. Huius caloris praeſentiam et gradus thermometrum definit, cui autem addi debet acceſſio quoque fluidi vitalis. Quum autem fluidum cauſticum globulum ſanguinis in ſpongiam conuertit, et phoſphori ad inſtar calcinat, inde arbitratur Noſter, declarari poſſe diuerſitates ſuccorum variorum, in corpore animali occurrentium. Solida vero et fluida in motum de- p. 80.
ducenda ſunt, quum per ſe perpetuo quieſcant, id quod *fluida* in ſpecie ſic nominata ab Auctore, praeſtant, quo nomine liquores inuiſibiles complectitur. Horum duas ſpecies habet, altera in animali per attritum excitatur volatilium particularum euolutione, altera extus accedit, aër, materia ſubtilis et ſpiritus vniuerſalis, vtriusque coniuncta actio fluidum cauſticum conſtituit. Aër quidem globulos liquorum diuidit, impeditque attritum, id tamen non ſine ſolidorum actione, ſine qua humores coagulantur et concreſcunt, haec iterum opus habent viuificante fluido, quod in neruis eſt, *fluido* ſcilicet *animali*. Hoc etiamſi ſenſibilitatem corporis facit, p. 85.
praeterea, quod mutationem admittit, mechanici quid in ſe habet, quod ab vſitatis ſtimulis amplius non moueatur, tandem autem corpus noſtrum incorruptum ſeruat, hinc *fluidum conſeruans* et *vitale* dicendum eſt, inprimis quod eſt immutabile. De- p. 93.
pendet itaque oeconomiae animalis integritas ab harum potentiarum aequilibrio. Triplici poteſt hoc ratione conſiderari, vt vel ſit vaſa inter et fluida contenta proportio, vel fluidum cauſticum inter et vitale, vel fluidum inter quod motum, et quod

ſenſum

ſenſum producit. Demonſtrare autem iam alibi ſuſcepit Cl. Auctor, motum a fluido nerueo praeſtari, cauum neruorum tranſeunte, ſenſum vero a fluido, parietes diſtendente, ſeu ſpatium, quod vaſcula nervoſa intercipit. Diuerſi aequilibrii gradus, in ſexu, aetate etiam et multoties diſcrepantes, temperamentorum rationem continent, vitae et mortis limites conſtituunt, quod fuſe oſtenditur.

p. 109. Fluidi animalis dignitas porro vberiorem expoſcit perueſtigationem, cuius ſedes in encephalo habetur. Huius exiſtentia clara et diſtincta eſt, natura paullo obſcurior. Oritur autem ex ſpiritu mundi vniuerſali, immutabili, omniumque motuum fonte, qui ſeſe cum aliis ſubtilibus corporis animalis ſuccis commiſcet, et hinc motus producit. Applicatur corpori per reſpirationem, et inde communicatur ſanguini, reſtituens ſanguinem venoſum in arterioſum in pulmonibus, vehitur per aortae ramos ad cerebrum, in quo ſeparatae purae et meracae eius particulae nunc fluidum animale componunt. Sed, quod ſumma eius ſubtilitas impedit, quo minus per ſe ſenſus motusque efficiat, opus eſt quibuſdam quaſi vinculis, quae in ſolidis aeque, ac fluidis partibus

p. 122. inueniuntur. Solidae, in quibus ſeſe vnit hoc fluidum, partes, *dura* eſt *atque pia mater*, ceu inuoluera cerebri et neruorum, id quod ex eo clarum eſſe videtur Noſtro, quod neque medulla nerui optici neque retina ſentit, hinc etiam nec reliquorum nervorum medulla. Parietes enim neruorum organon ſenſus, et cauitas neruorum organon motus haberi debent, quod parietes ex longe ſubtilioribus vaſculis, non niſi ſubtilius fluidum admittentibus, conſtent, quod *fluidum ſentiens* eſt, alterum in cauo fluens, vtpote craſſius, fluidum *mouens* conſtituit. Ganglia, quae recte a LANCISIO cerebro ſubſtitui dicun-

dicuntur, diuerſitates fluidi ſentientis faciunt. Fluidae partes, quae fluido animali admiſcentur, illudque ſimul conficiunt, a ſanguine debent repeti, quum, p. 128.
ligata maiori arteria, muſculi ſenſus et motus pereat, fit autem haec coniunctio praecipue in *glandulis*, quales etiam in cerebro ſunt, quarum diuerſitates Cl. Auctori perſuadent, vt differentias facultatis mentis inde deducat, ipſumque cerebrum *glandulam matrem* habeat. Hae tamen glandulae non ſecernunt, ſed humoribus tantum ſpiritus addunt, et fluidum animale ſuo connubio mutant, id quod glandularum quoque cutanearum officium eſſe perhibetur, nec non de omnibus reliquis valere. Tumidum etiam glandularum habitum aliunde ac a neruis prouenire non poſſe, multis monſtrare momentis ſatagit Noſter, et ſicut cerebro ganglia, ita his glandulas ſubſtitui contendit.

Quum itaque fluidum animale ab organis et flui- p. 150.
dis, quae in ſocietatem veniunt, impreſſiones recipiat, omnis inde ſenſationum et animi pathematum natura illuſtratur, fuſe admodum. Fiunt nempe particulares inde fluidi animalis *modificationes*, cuius characteres fluido eiuſdem ſpeciei protinus communicantur, omnique temporis momento varietates percipere poſſunt. Multam vtique adhibuit operam Cl. Auctor, in determinandis tum gratis, tum ingratis animi adfectibus, in quibus ebullire et intumeſcere quaſi, vel comprimi et denſari animale fluidum ſupponit, in eo propemodum laudandus, quod phaenomena affectuum mentis, in corporibus noſtris occurrentia, ſollicite collecta explicare et ſuae accommodari hypotheſi fuerit anniſus, ſimulque nec tremorem neruorum, nec refluxum fluidi neruei, ab aliis adſumtum, ſufficere probat.

Impreſſiones, in ſenſibus externis factae, ad ce- p. 189.
rebrum delatae, ibidem repetuntur, vt cerebrum ſit

echo

echo aliorum organorum, quare poſt haec ſenſus, quos vocamus, interni plenius conſiderantur, ſeu functiones mentis, in *perceptione* et *actione* conſpicuae. Etſi vero a fluido animali certo pendeant hae mutationes, modum tamen coniunctionis definire non audet, et prioris hypotheſeos confirmationem in mentis quoque actionibus quaerit, nec non
p. 223. de ſede animae diſputat. Hanc autem inuolucris cerebri inſidere autumat, quod, vt ſupra recenſuimus, organon ſenſationum ſunt, quod ab inflammatione meningum delirium naſcitur, quod ebrietas ſenſum et motum delet, quod varia tenſio meningum ex diverſa modificatione fluidi animalis amentiam producit, quod mentis actiones repetitiones ſunt impreſſionum, in neruorum inuolucris factarum. Id, quod etiam morborum exemplis demonſtrare annititur Cl. Auctor. Inuolucra vero cerebri fluidum animale recipiunt per neruos, huc accedentes, per fila membranarum, quae ad cerebri ſubſtantiam penetrantia vaſa comitantur, tum per liquores vaſorum, v. c. in plexu choroideo, in ſinu cauernoſo et ſic porro, ex quo ſimul facile deduci poteſt, quare fetus ſine cerebro vixerint. Nec obſtare coniicit Noſter vulnera durae matris, vel arte inflicta, quod exigua ſunt, neque tamen ſine noxa, quum aliquando innocue pars cerebri deſtruatur.

p. 232. Vltimo tandem loco de ſenſationibus immediatis, ſympathia et praeſagiis ſermo fit. Si igitur per ſenſus mouetur anima: *mediata* fit ſenſatio, vti in organis ſenſoriis per efficaciam corpuſculorum clarum eſt, quae ſenſum excitat, *immediata* ſi fluidum animale ſine his afficitur. Mens ipſa dum mouetur, *intellectualis* ſenſatio eſt, *animalis*, *pathetica* aut *praecordialis*, ſi anima ſenſitiua patitur, ſi machina vero afficitur, *animo vegetalis* appellatur Noſtro, vt in nutritione, ſuppuratione cet. Ad primam claſſem

ſem pertinent praeſagia, diuinandi poteſtas, ad alteram, virgula diuinatoria, vel ſi ſanguis fluit ex cadauere ad praeſentiam occiſoris, dum commouetur aliquis acceſſu parentis, alias incogniti, ad tertiam ſic dicta efficacia ſympathiae, ſi v. c. puluis ſanguini, ex vena miſſo, admiſtus, ſudorem excitat, idioſyncraſia ſic dicta, dum aliquem amamus, vel auerſamur ſine cauſſa euidenti. In his autem, quamuis explicationem completam dari non poſſe, concedit, tamen modificationes fluidorum ſingulares, et relationes ad ſe inuicem perpendendas et aſſumendas eſſe, monet.

Secundus operum phyſiologicorum *tomus* Cl. LE CAT, ſpecialem ſenſuum, quos vocant, externorum, diſquiſitionem continet, quae quidem plures iam ante annos, triginta nimirum et quod excurrit, prodiit atque ſic accepta fuit reddita eruditis, vt non ſolum aliquoties ſubiiceretur prelo, verum etiam in idiomate anglico ederetur. Quum itaque in multorum manibus verſetur ille liber, quae in illo ſingularia praeſtiterit Cl. Auctor, vix opus eſſe arbitramur, ceu omnibus nota, vt multis huc referamus, praeſertim, quod ſine omni mutatione recuſus, hic idem fuerit liber. Placuit tamen Noſtro, ad finem libri nouas adiungere adnotationes, quibus vel confirmentur, vel illuſtrentur, vel defendantur contra aduerſarios dicta, de quibus itaque rationem breuiter reddere noſtri eſſe iudicamus. To. II.

Quod corpus reticulare, ſub cuticula deprehendendum, tunicae externae neruorum propaginem eſſe aſſumit, nunc mucoſum corpus a ſucco neruoſo, ex papillulis exſudante, proficiſci addit. Diuerſas linguae papillas ex obſeruatione ALBINI et AURAN clarius deſcribit, iisdem et vaſcula ſanguifera accedere et inuolucrum obduci, quod filamenta p. 526. p. 527.

earum

p. 532. darum distinguat, a pia matre datum. Nasalem neruum ophthalmici rami quinti paris in naribus
p. 541. non terminari, sed ad nasum extus ferri monet, et alibi PEREIRAE singularem surdos mutosque loquentes reddendi artem laudat. Vbi deinde ad eam, quae multis celebrata est encomiis, baseos cranii tabulam accessit, contra eas, quae obiectae sunt a Cl. MECKELIO, animaduersiones sese defendit, libere simul profitetur, se vt hominem, ab erroribus non alienum esse, nihilo tamen minus a natura non abhorrere hanc delineationem demonstrat, nec Meckelianam quinti paris neruorum delinea-
p. 566. tionem ex omni parte perfectam esse, probat. Deinde materiam lucis et ignis differre denuo docet, et per experimenta specularum causticorum lucem lunae calorem non excitare ostendit. Quum etiam contra NEVTONVM asseruisset Noster, circulos coloris in prismate seiungi non posse, nunc eidem
p. 594. adstipulans, mentem suam explicat, in ea tamen perseuerans sententia, reflexionem radiorum in refractionis ratione inuersa versari. Ad anatomen oculi pertinet animaduersio, album choroideae circulum corneae inseri, eiusque superficiem quasi internam constituere, remota quoque choroidea ad internam faciem corneae tumidum circulum superesse, corneam etiam sub sclerotica continuari. Choroideam porro in laminas diuidi, quarum vna iridem, altera coronam ciliarem faciat. Hinc suspicatur choroideam in corneam definere, et iridem constituentem laminam humorem aqueum secernere, quoniam vero corona ciliaris ad retinam accedit, nerueorum spirituum motoriorum inde facilem esse accessum. Ex congelatis oculis confirmatur, anteriorem cameram posteriorem amplitudine su-
p. 602. perare. Ad visus organon et sentiendi facultatem, quam notum est choroideae tunicae tribuere Cl.

LE

LE CAT, in ipſa hac tunica vlterius ſtabiliendam, aliqua argumenta adiiciuntur, quibus diluuntur Ill. HALLERI aliquae obiectiones, praecipue vero monet, multos ſentiendi vim et imaginis picturam confundere, priorem ſolum choroideae, poſteriorem retinae competere. Dum enim alba retina reflectit radios, eam viſui non poſſe inſeruire, tangi quoque admodum parum a transeuntibus radiis, vt viſum diſtinctum reddere nequeat, hos potius in choroidea abſorberi. Retinae officium admodum nobile ſtatuit, in reparando humore vitreo et cryſtallino, in adducendo fluido motorio. Nec concedit, ſibi nunquam viſum, craſſum atrumque inter choroideam et retinam, ab HALLERO adſumtum pigmentum. Nouo quoque tentamine probat, papillam ad ortum retinae conſpicuam, veram medullae nerui productionem eſſe, eiusdem ac retina coloris, tunicas autem nerui hoc loco conſtringi. Choroideam tunicam neruis non egere porro adſerit, quod illa ſenſilis nerui paries eſt, vaſcula eam componentia contextu neruoſo ligari, qui ſenſum recipiat. Nouum eſt phaenomenon, ſi vno oculo p. 625.
v. c. ſiniſtro microſcopio applicato, intuearis obiectum, tunc in charta alba, oculo dextro ſuppoſita, pingitur imago, obiecti, ſub microſcopio detenti, ita, vt depingi queat, quod tamen non omnibus aeque ſuccedere aſſerit.

Praeterimus reliqua phaenomena optica, quorum plura adhuc eleganter ab Auctore declarantur, quod et commode ſatis huc referri nequeunt, et ex iam adductis ſollicita cura Noſtri apparet. Omnis autem CHESELDENI obſeruationes hominis caeci nati ex philoſophicis tranſactionibus n. 402. art. VII. huc referuntur.

Properamus enim ad nouam auditus theoriam, To. III.
quae ſupplementi loco ſenſuum pertractationi addi-

tur. Reportauit autem ea praemium anno huius ſeculi quinquageſimo ſeptimo ab academia inſcriptionum et elegantiorum litterarum Toloſana, quae non vniuerſam tantum theoriam, ſed ſingularum etiam partium, organon conſtituentium, ſpecialem vtilitatem explicatam volebat, in qua re illi ſatisfecit Noſter.

Diuiditur autem in tres partes tractatio, quarum prima ſtructuram organi anatomicam, altera obiectum auditus ſiue ſonum, tertia actionem obiecti in organon ſeu mechaniſmum perpendit.

Structuram ita perſecutus eſt Cl. Auctor, vt de duris ſiue oſſeis partibus primum, de mollibus deinde exponat, in ſingulis miramur ſubtilitatem deſcriptionum et adhibiti ſtudii, nec non egregias partium ſpecialiſſimasque delineationes, ex quibus aliquas, quo natura rei plenius intelligatur, norma naturali maiores eſſe voluit. Pauca vero de his adducemus, quae nobis ex pluribus magis videntur
p. 33. animaduertenda eſſe. Ita in neruorum ad aures pertinentium expoſitione deſcribit nerui maxillaris inferioris quinti paris, et rami eius poſterioris aliquem, ab aliis non adnotatum, et a DUVERNOI cum neruo recurrente linguali confuſum, minorem et retrorſum arcuatum ramulum, qui et glandulae parotidi ramulos largitur, et deinde per minorem fiſſuram, in ſummo loco fiſſurae articularis maxillam
p. 42. reperiundam, ad meatum auditorium properat, in poſteriore muſculo mallei deſinentem. Oſſiculis auditus perioſtium induci, nunc quidem nemo dubitat, eius vero ſubtilitatem et ingenitam his oſſiculis duritiem eorum incrementum coërcere, Noſter arbitra-
p. 55. tur, nec non vaſis ſanguiferis variis, hic deſcriptis, organum auditus irrigari, ſimul autem tympanum, accedente arteria carotide interna et vena iugulari,
p. 56. tanquam duobus balneis egregie foueri. Portionem duram

duram nerui acuſtici vidit neruulum quendam in veſtibulum miſiſſe, num idem ſit, quem BERTINUS in canalem ſemicircularem abire conſpexit, dubitat, muſculo tamen mallei interno ramulum largiri, icone demonſtrauit. Ipſa quoque dura mater ad aquae- p. 59.
ductum productionem mittit, quae portionis durae cum quinti paris tribus ramis coniunctionem efficit, nec non cum quarto et ſexto pari, atque cum intercoſtali. Siquidem hunc ſollicita diſſectio Cl. Auctorem docuit, ab eadem meningis continuatione fila recepiſſe. Tradidit etiam Noſter amplam et ſubtilem durae portionis, nec non quinti paris deſcriptionem. In paris quinti origine notat neruearum fibrillarum, p. 66.
inter ſe iunctarum, ſimplicem plexum, et qui acceſſu durae matris confirmatur, plexum gangliformem, planum et quadratum. Recurrens neruus acuſticus, ſiue chorda tympani variis controuerſiis occaſionem dedit, num ex quinto pari ad ſeptimum delegetur aut contra, non obſtante autem acuto in loco coniunctionis angulo, a dura portione nerui acuſtici eum demitti, adſumit, quod etiam in aliquo p. 74.
ſubiecto, vti icone oſtendit, diſtinctus et ſeparatus ſub linguali neruo recurrens hic proceſſerit. Ipſa deinde chorda tympani mox ad membranam eiuſdem nominis arcte adhaeret, mox ab ea ſeparata progreditur. Eſt etiam cauitatis tympani adulti et infantis aliqua differentia, quod in illo haec cauitas, vtpote magis oſſea, minor reddatur, hinc chorda in infante longius ac in adulto decurrat. Nerui tandem atque durae matris productio, quae ad aquaeductum accedit, perpetuum nunc nexum portionis durae, recurrentis acuſtici, quinti paris, intercoſtalis nerui, noni paris, primi, nec non ceruicalium et octaui paris efficit, ex quibus conditionibus vlterius conſectaria fluunt, quae ſequuntur.

p. 78. Altera ſcilicet pars ſoni naturam centemplatur, atque in tres articulos diuiditur, quorum primus obiectum ſoni, ſeu corporum ſonororum naturam comtemplatur, alter medium ſeu fluidum ſonos tranſmittens, diſquirit, tertius formas corporis ſonori, tranſmittendis et multiplicandis ſonis idoneas, perpendit. In ſingulis generales aliquas regulas proponit, experientia deinde et obſeruationibus confirmat.

Corpus ſonorum percuſſum, diſtincte reſonat, quod ab elaſticitate pendet. Hinc, ſi corpus ſonum edere debet, totum in vibrationem coniicitur, cuius diuerſitas etiam diſcriminis ſoni rationem habet. Simul autem inteſtinae oſcillationes partium integrantium, quas vocant, corporis ſonori debent accedere.

p. 88. Eſt vero fluidum, ſonos tranſmittens, aer, quo ablato, ſoni vis perit, neque tamen craſſus ille atmoſphaericus, ſed eius rarior ſubtiliorque particula, quod confirmatur variis tentaminibus, quum craſſus etiam per membranas tympanum et labyrinthum obducentes tranſire nequeat. Haec autem cum craſſiore aeris parte arctiſſime cohaeret, licet ipſa varios ſubtilitatis gradus habeat, ſiquidem ſimul differentes ſonos transmittat; in ſingulo etiam gradu elaſticitas et oſcillatio peculiaris particularum eſt. Docetur porro, ſonum aeque ac lucem per lineas rectas propagari et quidem determinato tempore; eodem, vt illam, modo reflecti; nec per ſuperficiem ſolidam ſolum, ſed etiam per diuerſi generis corpora echo formari.

p. 117. Tandem in eo, quod vibrationes corporis ſonori conſeruentur, vel etiam fortiores euadentes augeantur, diuerſa forma conſiſtit. Vtrumque contingit aut radiorum ſonororum reflexione, v. c. in fornice, quo refertur antrum ſpirale, quod Syracuſis exſtruebatur

batur a Dionyſio, cuius etiam icon adiicitur, aut oſcillationibus crebrioribus, in ipſo corpore ſonoro excitatis, aut harum cauſſarum mutua coniunctione in organo acuſtico.

In quantum autem his principiis adhibendis noſtri faueat organi auditus ſtructura, tertia iam parte explicatur a Cl. Auctore, qua veram partium organi monſtrandi vtilitatem ſingularem adhibuit operam, ſecutus normam, quae naturae eſt, ab exteriore ſcilicet aure ad interiora progrediens. Auriculae conformationem eam eſſe docet, quae in reflectendis atque ad meatum auditorium tranſmittendis radiis ſonoris occupatur, inciſuras cartilaginei meatus adeſſe arbitratus, ne compreſſa auricula laedatur, angulum vero deſinentis ad tympanum meatus, augere vim numerumque oſcillationum. Tympani membrana, naturae neruoſae, oualis formae, tranſuerſis ex fibris compoſita ſi ſupponitur, percuſſa harmonice reſpondet oſcillationibus, hinc ſimillimis ſonis producendis adaptata, praecipuum organum ſenſationis iudicatur. Officula auditus ob ſitum ſuum comparantur a Noſtro, illi, quae tabulae externae in fidibus ſupponitur columnulae, *ame* gallofranci nuncupant, ſed ea muſculorum actione, oſſibus datorum, animatur ad ſonorum perfectam reddendi rationem. Quorum *externus mallei*, membranam tantum hanc, quoad ſuperiorem partem tendit, *anterior* mallei manubrium antrorſum ducendo, membranam planam, *internus* vero introrſum concauam reddit, ſinguli agentes compoſitas actiones exſerunt, *ſtapedis* vero *muſculus* ſimul concurrit, et membranam oualis foraminis tendit et relaxat, nec non omnium ope chorda tympani mutatur, tenditurque. His tamen motibus fluidum interius non comprimitur aut denſatur, ipſa potius tympani membrana diuerſis ſonis eorundemque efficaciae adaptatur. In tympa-

p. 134.

p. 144.

p. 168.

ni deinde cauo, vt in omnibus reliquis corporis noſtri, aer internus ſubtilis, ex vaſis exſpirans inuenitur, cui opitulatur balneum caloris ex vicinia carotidis et iugularis venae. Tuba Euſtachiana in palato aperta, ad renouationem huius confert, certis ſub conditionibus, qui ſolertiſſime a labyrintho auertitur, quippe non ſatis conueniens, nec ſatis ſubtilis. Interim omnes internae oſſeae organi partes fauent promouendis oſcillationibus, quae in cellulis maſtoideis multiplicantur, ſicut in labyrintho, canalibus ſemicircularibus et praecipue in cochlea artificioſiſſima, in qua plus, quam 9632 vibrationes, ſonis harmonicae, excitari poterunt, vibrationes nimirum, per impulſum membranae tympani communicatae aeri interno, totum occupanti labyrinthum. Ad quam quidem rem non parum confert, canalium ſemicircularium orificium ſuperioris et inferioris canalis commune, quod directe afficitur. In auibus deficiens cochlea ſuppletur copioſis circa tympanum cauernis oſſeis, membrana inueſtitis. Quum denique ſine neruo ſenſatio non fiat, menti communicanda, tandem neruorum diſtributionem, et denuo ſummam ex conſenſu cum multis aliis neruis et pene omnibus, enatam vtilitatem perpendit Noſter, non tantnm ſuarum opinionum firmitatem certiorem reddens, ſed etiam ex naturae cognitione euincens.

Remedia ad finem grauiori auditui, applicato inſtrumento, ſuccurrendi, per inuentas, a ſe, machinas acuſticas, exhibet, quae ad normam organi acuſtici efformatae, hic delineatae inueniuntur, nec ſine iconiſmis ſatis intelliguntur.

Praecipua tantum hic adduximus momenta, quo Cl. Auctoris adhibita conſtet ſolertia, nec ſingulares eius ſententias diiudicauimus, quo liberum, omnia ponderanti curatius, ſit iudicium. Non poſ-

ſumus

sumus tamen, quin de tabulis adiunctis aeneis quae dam adiiciamus, quarum explicationes additae multos iuuabant anatomes studiosos, siquidem et his in plenius intelligendis explicationibus egere nequeas.

Sunt tabularum aenearum tredecim, quarum *prima* caput osseum, quoad externam superficiem ostendit, *secunda* os temporum, quoad diuersas superficies sistit, *tertia* idem os dissectum proponit, sex diuersis sectionibus, quinque ex homine desumtae sunt, meatus auditorii externi et internae cochleae structurae egregias delineationes exhibentes, sexta ex gallo indico tympanum reticulatum refert. Plures internae auris partium delineationes, tredecim nimirum sequuntur tabula *quarta*, quibus membrana ceruminosa et durae portionis canalis inter alia, ossiculorum auditus et cochleae figurae exhibentur. *Quinta* auris externa, cum vicinis partibus mollibus, musculis, vasis neruisque traditur. Quo vero vno quasi obtutu organi acustici coniunctio et viae variae dignoscantur, *sexta* demonstrat transuersam sectionem auris internae per nares, palatum os et laryngem continuatam, quae vero non satis distincta esse videtur. In *septima* quatuor figurae sunt et tum molles tum durae auris externae et internae partes quaedam occurrunt, praecipue musculi vicini et nerui recurrentis acustici siue chordae tympani et maxillaris inferioris decursus. Sed, quod portio dura acustici nerui multos habet cum aliis neruis nexus, tabula *octaua* a latere faciei et capitis, resectis ossibus, neruorum et vasorum propagines, inprimis portionis durae iam dictae et nerui quinti paris declarat, nec non in minoribus delineationibus chordae tympani, nerui vidiani plexus maxillae vidiani, aliarumque partium subtiliorum icones speciatim exhibet. Neruum vidianum, durae matris chor- p. 268.
dam, cum vicinis partibus nexam esse credidit Cl.

p. 268. LE CAT, monitus autem elegantibus Cl MECKELII inuentis, qui neruum appellabat, aperta hac productione mollem gryseamque, a pia matre prouenientem, substantiam inesse vidit, qualis pariter est ad neruum intercostalem abiens ramulus. Arteriae maxillaris internae ramificationes quoque hic
p. 276. occurrunt, simulque notat chordam pterygoideam, ad foramen caroticum pergentem, ansam circa hanc arteriam durioris indolis constituere, qua dissecta, substantia mollis rubicunda piae matris soboles appareat, quae neruos imitetur, vt ea propter a MECKELIO *ramus profundus nerui vidiani* dicatur. In sex etiam figuris *tabula nona*, duri acustici nerui progressum et eius per duram matrem cum quinto pare connexionem illustrat, vt appendix durae matris et quinti paris ganglion amplum, rubicundum et semicirculare, a dura matre formatum, conspiciatur. *Decima* tandem omnium neruorum medullae oblongatae exitum a latere docet, cerebro et cerebello reclinatis, ossibus posterius resectis, nec non vasorum etiam diuisiones. Haec ad anatomen pertinent. Reliquae tabulae ad auditus theoriam spectant, antrum Dionysii et instrumenta acustica referunt.

Passim etiam Cl. Auctor aliarum iniecit delineationum mentionem, quae neruorum septimi quintique paris varias anastomoses sint monstraturae, quae debeant physiologico maiori operi adiungi. In vniuersum autem optandum fuisset, vt placuisset Cl. Auctori lineares, quas vocant, adiicere suis iconibus delineationes, quippe quibus, ne literis numerisque obscurarentur partes subtiliores, fuisset cautum.

XVI.

Noua physico medica.

Februario 1769 societas scientiarum *Bruxellis* fundata atque in duas classes, historicam nimirum et physicam, diuisa est. In quibus omnia, quae ad geographiam, antiquitates, historiam ecclesiasticam, civilem ac naturalem prouinciarum Austriacarum, in Belgio sitarum, vniuersalem et specialem cognitionem climatis eiusque situm, physicam experimentalem, botanicam, matheſin puram atque impuram spectant, proponentur et examini eruditorum subiicientur.

Praemium, quod expectare licet, est moneta aurea viginti quinque numorum aureorum, in cuius vno latere effigies Sacrae Maiestatis Imperialis MARIAE THERESIAE, Augustissimae scientiarum patronae, cernitur, et in altero latere spectatur palma, quam cingunt haec verba: *Societat. Bruxell. palma ex largit. Princip.* Leges huius societatis quod attinet, eas cum aliarum societatum legibus conuenire, ad nos perlatum est.

Primus *Eiusdem* conuentus die 5 maii 1769 est habitus, in quo duae propositae sunt quaestiones. Quarum vna ad nos pertinet, et haec est: *quaenam sint principes fodinae metallicae in prouincia Namen; quotuplex sit earum natura atque indoles, quaenam altitudo atque profunditas earum, quaenam genera stratorum super his inueniantur et quid in his obseruandum?* Quae cum societati in elaborationibus missis non penitus exhausta videretur, ab ea 1770 denuo est proposita praemio duplicato.

Praeterito 1770 anno *Roterodami* ab amico quodam artium atque scientiarum cum priuilegio Statuum Belgicorum Societas *Batava* physico-experimentalis est constituta.

Ad hanc ſtabiliendam atque praemia diſtribuenda pecunia ab hoc amatore data eſt, nec non hoc dictum: *Certos feret experientia fructus.* Experientiae itaque fundamento niſa, diſquiret haec ſocietas experimenta, quae ſpectant ad inſtrumenta artium et officinarum, quatenus conſulunt patriae ſaluti, agriculturae et rei maritimae; porro obſeruationes examinabit ex phyſica, chemia, naturali hiſtoria, botanica, anatomia, phyſiologia, praxi medica et chirurgica ſimul cum remediis, quae nouitatem produnt, depromtas. Nec non aſtronomiae habebit rationem ad emendandam rem maritimam doctrinamque militarem.

Tres quaeſtiones, 1771, 1772 et 1773 propoſitae eo redeunt, vt inquiratur in modum, *patriam ab aquis quibuscunque irruentibus defendendi.*

Non ita multo ante IOANNES HILL, botanica clarus, conſilia dedit, Academiae regiae ſcientiarum conſtituendae *Londinenſis*, cuius patrocinium Regi, protectio vero principibus et nobilioribus exteris, praeſidium Cl. HILL deberetur.

Centum et triginta ex nobiliſſimis Angliae, qui *ſuperiores* Academiae dicuntur, ſunt eligendi, a quibus quotannis quinque aurei Anglorum, ſeu triginta ſimul expendi debent. Cl. HILL, vt praeſes huius Academiae, ſex viros, cuilibet promiſſo praemio annuo quinquaginta librarum, ad diſquirendas elaborationes ſibi adiunget, quos harum potiſſimum diſciplinarum gnaros eſſe oporteat; nimirum hiſtoriae naturalis, philoſophiae, aſtronomiae, rei maritimae, agriculturae et chemiae.

Porro Cl. HILL, vt praeſes, omnia diriget, quae ad Academiam ſpectant, cum eruditis totius Europae litterarum habebit commercium, et quotannis vnum, fortaſſe et plures vulgabit commentarios.

Pro

Pro hoc ſtudio poſtulat Cl. HILL ducentas libras et quadraginta pro adiuncto, quem ſibi eliget. Praeſidium ſit perpetuum, niſi Academia illius mutandi nanciſcatur opportunitatem. Superiores in poſterum non niſi communi ſuffragio eligantur, illaque pecunia, quae aditu illorum parata eſſe debeat, impendatur ad bibliothecam et muſeum apud Cl. HILL comparandum.

Nec minus acta ſocii et omnes omnino, quibuscum Academiae eſt commercium, gratis accipiant. Fructus vero, qui ex his actis editis redundare poſſint, in vſum Cl. HILL cadant.

Caeterum quauis ſeptimana a prima ad tertiam horam Academia ibi, vbi habitat Cl. HILL, eo praeſente, conueniat. Quodſi vero iter aut morbus eum impediant, praeterea enim nihil excuſat, alium denominet. Reliquarum legum condendarum in poſterum habebit rationem Cl. HILL.

Quamquam regia chirurgorum Academia *Pariſina* eam quaeſtionem, quae vnguentorum et emplaſtrorum abuſum ſpectabat, in miſſis elaborationibus non penitus exhauſtam iudicauit, ideoque denuo, vti iam retulimus *) propoſuit, tamen Cl. BILLARD chirurgo primario rei maritimae et regii equitatus a Breſt praemium aemulationis addixit, cum eius explanatio huius quaeſtionis Academiae non penitus diſpliceret.

Paruas vero monetas, quas haec Academia quoque diſtribuit quotannis, attribuit Cll. viris GOYENOT, CHAMBAN, BLANCHARD, chirurgis, Cl. AURRAN, medicinae Doctori Argentoratenſi, et Cl. SYLVESTRE, artium Magiſtro atque chirurgiae ſtudioſo.

Ad

*) vid. Comment. noſtr. Vol. hoc p. 161.

Ad hanc quaeſtionem, quam Academia elegantiorum literarum, ſcientiarum et artium *Marſilienſis* 1770, vti retulimus*), repetiit, ita concinnatam: *Quae ſit optima methodus vini prouincialis parandi atque tractandi tam quoad vſum, quam exportationem*, reſpondit cum aſſenſu Academiae Abbas DU ROZIER, qui vel hanc ob rationem praemium reportauit.

Qua occaſione repetiit *Eadem* quaeſtionem 1770 propoſitam: *Quomodo optime paretur ſapo, et qualis ſit vſus cinerum in officinis ſaponariis?***) (*ſur la meilleure maniere de fabriquer le ſavon et le meilleur uſage des cendres des ſavonneries*), huicque addit duas alias quaeſtiones, ad annos 1771 et 1772 pertinentes, quarum vna haec eſt: *quinam ſit optimus modus ficum colendi et quaenam ſint cauſſae eius corruptionis, ac quomodo ea poſſit caueri*, (*ſur la meilleure maniere de cultiver le figuier, les cauſes de ſon déperiſſement et les moyens d'y remédier;*) altera eſt: *quaenam optima oliuarum cultura ſit, et quomodo poſſint inſecta, arbori aeque ac fructibus infeſta arceri? (ſur la meilleure maniere de cultiver l'olivier et de le préſerver des inſectes, qui s'attachent à l'arbre et au fruit.)*

Singularum praemium eſt moneta aurea trecentarum librarum Gallicarum. Commentarii ſunt mittendi, impenſis ſolutis, per totum ianuarium 1773 ad Cl. MOURRAILLE, qui Academiae perpetuo ab epiſtolis eſt, ita, vti apud alias Academias ſolemne eſt.

Inter quaeſtiones, Academiae ſcientiarum, artium et literarum elegantiorum *Diuionenſis* eam, quae ad praemium 1775 reportandum ab Ea eſt cum viris eruditis communicata, ad nos pertinere intelleximus. Quapropter eam quoque ſolummodo, miſſis reliquis, repe-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 550.
**) vid. ib.

repetimus. Quamquam enim et hanc moralem ac politicam potiſſimum ſpectare partem non negamus, tamen ob ſanitatem vitamque, omnino inde pendentes, eiuſdem hic mentionem feciſſe non poenitebit.

Eſt nimirum ita comparata: *quaenam ſint commoda, conſuetudinis ſatis vſitatae et antiquae, corporis exercendi et ludorum publicorum inſtituendorum, variis populis ſolemnium et diuerſis temporibus vſitatorum.* (*Quels ſont les avantages, que les moeurs ont retirés des exercices et des jeux publics, chez les différens peuples et dans les différens tems, où ils ſont eté en uſage.*)

Tradidit Academia diu ante tempus hanc quaeſtionem ideo, quoniam eo certius atque ſecurius elaborationes accuratas huius quaeſtionis ſe nacturam eſſe arbitratur. Omnes, praeter ſocios, hanc ad rem declarandam inuitantur, et commentarii a Cl. MAIST medicinae doctore, qui Academiae ab epiſtolis eſt, ante primum diem aprilis eiuſdem anni, cuius ſupra mentionem fecimus, exſpectantur. Praemium, quod huius quaeſtionis cauſſa diſtribuetur, moneta quidem eſt librarum Gallicarum quadragenarum ſecundum voluntatem fundatoris. Quoniam autem, conſentiente eo, quaſdam ob rationes eſt conſtitutum, per nouem annos pretium illius imminuere, trecentis libris conſtabit in poſterum haec moneta. Id quod et diſtributionem praemii 1771 retardauit. Reliquae mittendorum commentariorum leges ſupraiam a nobis *) ſunt narratae.

Artium liberalium et ſcientiarum amatores *Amſtelodamenſes* elaborationem quaeſtionis 1770 propoſitae: *quaenam ſit natura, indoles atque procreatio inſectorum, quae multis abhinc annis in Belgio palos aggerum, puteorum maritimorum canaliumque nec non ipſas*

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 709.

ipſas naues perreptent et perforent? Quomodo et quam ob rem hic magis, illic minus intrent lignum, ac tandem quaenam ſit optima, ſimpliciſſima nec nimis ſumtuoſa liquorum compoſitio contra ea? a DAVIDE MESSE hortulano Academiae, quae Franequerae floret, Societatum Groningenſis et Vliſſingenſis ſodali, miſſam, hocque dicto inſcriptam: *ſine ope Dei hominum induſtria nulla eſt*, dignam iudicarunt, quae praemio ornaretur. Id quod Cl. MESSE, ante quam conſilia ſua experientia ſint comprobata atque confirmata, ſe accepturum eſſe negat. Nec non alia tractatio ignoti Auctoris, hac notata ſententia, *ad ſalutem patriae digna iudicata fuit*, priori adjungenda videtur ſocietati, ſi Auctori nomen ſuum profiteri placebit.

Quaeſtiones, 1771, et 1772 exhibitae, ſunt hae: vna attinet *optimum conjugium ad obtinendam bonam familiam infimae plebis, ciuium et nobilium in ſui et totius omnino ſocietatis humanae ſalutem;* altera ſpectat *ad oras maritimas Seelandiae emendandas.*

Praemium, optimae reſponſioni dicatum, eſt moneta aurea triginta numorum aureorum.

Roterodami Viri Cl. PATYN et DE MONCHY doctores medicinae ac directores ſocietatis Batavae phyſico experimentalis nuper conſtitutae *) profeſſiones medicinae ſunt nacti. Ad quas adeundas vterque habuerunt orationes, ac prior quidem die 22 octobris 1770 egit *de certitudine ac firmitate medicinae clinicae ex doctrina morborum in morbis;* poſterior vero die 29 eiusdem menſis et anni *de imaginaria frigoris potentia nocente, eiusque praeoccupatae opinionis in minus ſtabilem Batauorum, praecipue diuitum, ſanitatem ſummo influxu* verba fecit.

Cl.

*) vid. ſupra p. 345.

Cl. vero VINCK, cui eadem ibidem die 2 maii 1770 prouincia data fuerat, hoc munere se ipse abdicauit veniamque obtinuit.

Hagae Comitum, Cl. I. B. SANDIFORT, fratri EDUARDO SANDIFORT, qui in posterum Lugduni in medicina docenda publice versabitur *), successit.

Gottingae, die 19 iunii 1771. Experientissimus AUGUSTUS GOTTLIEB RICHTER professionem medicinae ordinariam nactus est.

Tubingae, Cl. CHRISTIANUM FRIDERICUM REUSS professionem medicinae extraordinariam accepisse nuper **) retulimus.

Quod munus adiit Vir Cl. secundum vniuersitatis huius institutum dissertatione inaugurali *de diapasmate*, (gallice *poudre*) quam Respondente Nobilissimo *Septimo Christiano Gottlob Seegero* die 13 maii 1771 defendit, atque oratione: *de carice arenaria* (riedgras) *loco sassaparillae vsurpanda*, quam habuit die 17 maii eiusdem anni.

Ab episcopo Abbatiae Fuldensis *Fuldae* hortus botanicus est constitutus, et Experientissimus WERNERUS botanices professor nominatus.

Londini HENRICUS PEMPERTON medicinae doctor ac professor die 9 aprilis 1771 desiit viuere.

Cüstrini die 4 augusti 1771 vitam cum morte commutauit Cl. IOANNES HENRICUS GOTTLIEB

*) vid. Comment. nostr. hoc Vol. p. 163.
**) vid. Comment. nostr. Vol. XVI. p. 710.

LIEB A IUSTI, variis ſcriptis clarus et chemiae ita ſtudioſus, vt ipſa coecitas eum non plane ab ea abduceret.

Dresdae, CHRISTIANUS HENRICUS EILENBURG, rerum metallicarum conſiliarius phyſica doctrina atque hiſtoria naturali clarus, morbi diuturnitate ita conſumebatur, vt diem obiret ſupremum die 29 Iulii 1771, cuius varia ſcripta aeque ac benevolentia et humanitas erga omnes, qua nihil prius atque antiquius habebat, ita omnibus conſtant, vt omnino dignus videatur, cuius memoria poſteritati commendetur.

Non nuper viri, rebus publicis bene conſulentes, de modo merſos reſuſcitandi praecipue cogitarunt, atque varia variis in locis huius rei optime efficiendae dederunt conſilia, quae iamiam *) retulimus. Cum autem admodum magna ſubitae atque violentae mortis ſit varietas, et ſumma eorum, talem perpeſſorum, infelicitas ideo augeatur, atque quaſi confirmetur, quoniam fugiunt eos ciues, iisdemque auxilium ob honeſtatis ſuae maculam euitandam prorſus denegant, iuſſit Clementiſſimus FRIDERICUS, Dux Saxoniae Gothanus, modum tradere, quo magiſtratus et ciues non ſolum his miſeris, ſed omnibus omnino, quacunque ratione mortem ſubitaneam ac violentam expertis, absque mora ac ſalua eorum honeſtate inſeruire, eosque a mortuis quaſi excitare teneantur, inſimulque remedia vulgare, quae quam celerrime, donec chirurgus aut medicus veniat, a quolibet ſunt adhibenda.

Quae quidem omnia hic repetere ideo incongruum duximus, quoniam partim non pauca in loeis ſupra

*) vid. Comment. noſtr. Vol. III. 517. IX. 579 ſeqq. XV. p. 170. et 360.

ſupra a nobis commemoratis, iam ſunt indicata, partim, quoniam pleraque, hic propoſita, cum iis, quae PHILIPPUS GABRIEL HENSLERUS medicinae doctor et regius Danicus phyſicus Altonenſis *) collegit atque tradidit, conueniunt. Huius vero libri ſummam, in quo neonatorum quoque, qui mortui videntur, venenatorum, fulgure atque tonitru tactorum, magnas haemorrhagias paſſorum, vomitoriis porro purgantibus imprudenter adhibitis, animique commotionibus nimiis, potiſſimum terrore atque timore mortuorum, mentio facta, iisque medendi, ſi fieri poteſt, methodus eſt praeſcripta, proxime cum Lectoribus communicare pollicemur.

Aeque magnam atque admirandam humanitatem praeſe fert ſimile inſtitutum Auguſtiſſimae Imperatricis MARIAE THERESIAE, quae ciues clementiſſime iuſſit, omni quo, fieri poteſt, modo, merſis et omnibus omnino, qui ſubitam ac violentam mortem experti videbantur, inſeruire, eosque, ſi poſſunt, vitae reſtituere. Id quod, vt tanto certius praeſtetur, quanto ſeuerius iuſſum eſt, conſtituit Auguſtiſſima pro ſingulo, cui ita latum eſt auxilium, viginti et quinque florenorum offerre praemium.

Hafniae ibi, vbi hortus botanicus erat, hoc 1771 anno ſchola veterinaria eſt condita, in modum ſcholae veterinariae Lugdunenſis, in qua de morbis potiſſimum armentorum epidemicis praelectiones habebuntur.

Memo-

*) *Anzeige der hauptſächlichſten Rettungsmittel derer die auf plötzliche Unglücksfälle leblos geworden ſind oder in naher Lebensgefahr ſchweben. Altona* 1770 8.

Memoria IOANNIS ASTRUCI, Medici regis Franciae Conſiliarii, Profeſſoris Medicinae ſenioris in Monte Peſſulano et Profeſſoris regii Pariſienſis.

Qui artem ac diſciplinam, quam tractandam ſuſceperunt, ita excercent, vt non modo victus neceſſarii et quaeſtus cauſſa, quod ſordidum eſt et ſeruile, eam factitaſſe reperiantur, ſed, quod ingenuos homines ac liberales decet, cognoscantur in ea excelluiſſe, praeter multa alia, quae cum acri cuiusque artis ſtudio coniuncta ſunt, et ingenii et animi oblectamenta, hoc etiam habent praecipui, vt cum per vitam praemiis improbo animi et corporis labore dignis adficiantur, tum poſt obitum omnis poſteritatis memoriae quam diligentiſſime commendentur. Neque enim, quod querulorum turba noſtris temporibus ſaepius fortaſſe, quam vnquam auditum eſt, iactare ſolet, vsquequaque verum eſt aut vbique, nihil ſcilicet magnopere vel ad gratiam vel ad honores conſequendos referre, vtrum aliquis literis leuiter imbutus, an totus in iis reperiatur, cum vſus rerum doceat et quotidiana experientia, ſi externa fortunae commoda ſpectes, cum his ſaepenumero peius, quam cum illis agi. Accidit ſane, quod dolendum eſt, vt vterque parem nonnunquam et contemtus et honoris fortunam experiatur, neque tamen aetas noſtra usque adeo iniuſta ac peruerſa dici poſſe videtur, vt viros in aliqua arte aut diſciplina primarios aut praemiis omnibus priuari, aut in obſcuro latere perpetuo ſinat. Id cum ex aliis magnorum virorum exemplis conſtat, tum ex ASTRVCI Viri Cel. vita, quam breuiter deſcribemus, patebit. Namque et hic non ſolum dum viueret, iuſta ingenii, induſtriae et eruditionis praemia tulit, ſed et dignus iudicatus eſt cum ab aliis, tum a nobis, cuius

nomen

nomen ab obliuione vindicatum posteris tanquam exemplum sollertis, industrii, periti atque felicis medici et ad cognoscendi voluptatem et ad imitandi aemulationem proponeretur.

IOANNES ASTRUCUS natus est a. 1684 in oppidulo, Salviae (*Sauve*), quod in Prouincia Occitaniae inferioris situm est, ex familia haud obscura. Patrem habuit eius loci sacerdotem e Protestantium, quorum ibi magnus numerus erat, partibus. Is paulo ante, quam edictum Nanneteſianum reuocaretur, commutata religione philosophum se gessit, et iurisprudentiae operam impendens nihil prius atque antiquius habuit, quam vt ambos, quos habebat, filios, omnibus, quibus puerilis aetas impertiri debet, doctrinis erudiret. Quo studio patris atque diligentia id effectum est, vt vterque filius in studiorum, quod sequendum quisque sibi elegisset, genere, insigniter excelleret. Nam natu minor, ante Nostrum mortuus, inter principes ICtorum Tolosae fuit. Sed de Nostro videamus. Hic quidem, fundamentis literarum humaniorum sub patris cura et auspicio rite iactis, Montem Pessulanum petiit, vbi, probata summis illius academiae doctoribus industria, a. 1700 magister philosophiae creatus est. Duobus annis post, cum in artem salutarem gnauiter incubuisset, dignitatem Baccalaurei obtinuit, quam hoc ipso anno 1702 dissertatione *de fermentationis caussa* condecorauit. Quae cum a VIEVSSENIO viro artis anatomicae longe peritissimo, cuius tractatio *de neruis* iam prodierat, esset impugnata, ab ASTRUCO defensione admodum liberali vindicata est. Licentiatus deinde a. 1702 d. 12 octob. factus et ad gradum Doctoris Medicinae adscensurus, eum a. 1703. d. 25 ian. facile obtinuit. Hinc, quod sollertissimus quisque vir ac rei medicae studiosissimus

